

Hien 1 Tafel.

22. Oct. 1901.

2876

DISPUTATIONES

IN

CLASSE PRIMA

STEPHANEI

AB APRILI MDCCXCIV AD APRIL. MDCCXCV

HABITÆ.

COLLECTIO TERTIA.



HALBERSTADII
TYPIS DÖLLIANIS MDCCXCIV.

DISPUTATIONES

CLASSE PRIMA

STEPHANI

AS APRIL MDCCXCV AD APRIL MDCCXCV

HABITAE

COLLECTIO TERTIA

HALLERSTADII

TYRIS DÖBLIANSIS MDCCXCV



DISPUTATIO

ANNO MDCCXCIV.

IN ACADEMIA

PROXIMA

SEMESTRE AESTIVUM

MDCCXCIV.

Th. II

Th. III

Th. IV



SEMESTRE FESTIVUM

M D C C X C I V



DISPUTATIO I.

D. III. MAJ. MDCCXCIV.

HABENDA.

Resp. HFINEKE. Opp. DÖRGE. SPILLEKE.

Principum actiones cautius esse judican-
das, quam privatorum.

Th. I. Si actiones omnium ex rationibus, consilio, conditione, tempore ac facultate agentis judicandae sunt: multo magis in iis, qui summos in civitate honores obtinent, earum rerum ratio habenda est.

Th. II. Inter omnes civitatis dignitates autem principis sine dubio prima est et gravissima: ideoque actiones ejus, causis earum difficilius plerumque perspiciendis, maxima cum cautione judicandae.

Th. III. Princeps enim cum omnia in civitate ordinare, disponere, moderari totamque animo complecti debeat, multo diligentius circumspiciendusque, quam alii, agat necesse est. Idem tamen homo est, atque negotiorum cumulo obrutus, maxima diligentia adhibita, tamen interdum falli potest. Difficillimum tamen de his omnibus rebus privatorum iudicium est, qui exiguam tantum causarum saepe partem vident, quibus commotus ad agendum se contulit.

Th. IV. Princeps facilius adeo periculo corruptionis expositus est, quam privatus. Nam cum ad rempublicam administrandam ab juventute

præparandus sit, varia institutione fruitur, et cum omni genere hominum versatur. Inter amicos autem familiaresque ejus et præceptores adeo sapius levis, hypocritæ, avari et mali sunt, qui eum juvenem adhuc in sua commoda pertrahunt, animumque ejus pravis præceptis corrumpunt, aut sibi ipsis partem imperii arripiunt. In quibus omnibus multæ excusationis modestique judicii causæ latent.

Th. V. In imperiis hereditariis porro contingere potest, ut is, qui minus naturæ dotibus instructus est, heres regni fiat, quem aliter, quam pro viribus judicare, summæ foret injuriæ.

Th. VI. Cavendum etiam, ne temere omnia a principe expectemus: nam etsi ejus potentia plus efficere potest, quam privatorum, tamen multa ipsa negotiorum multitudine ac gravitate consequi impeditur. Multa tamen ex infana illa expectatione perversa judicia oriri solent.

Th. VII. Princeps cum de omnibus civium classibus, de omnibus artium disciplinarumque generibus cognitionem habere debeat, si omnia recte disponere vult, per totam fere vitam multis rebus incumbere debet, quæ sæpe fastidium afferunt et ipsi studium jucundissimum eum abicere cogunt. Quæ omnia caute et modeste judicare nos jubent.

Th. VIII. Nulla res magis noceri potest, quam principum actionibus temere et immodeste judicandis; qui patriam igitur amat, incommoda quævis, quantum fieri potest, tegere et ferre, bona in luce collocare debet. In quibus omnibus modestia et cautio opus est.

Th. IX. Hisce argumentis jamjam satis luculenter mihi demonstratum videtur, principis actiones cautius esse judicandas, quam privatorum.

DISPUTATIO II.

D. XII. (I. X.) MAJ. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. FAHRENHOLZ. Opp. OPPERMANN. JUNG:

Lingua vernacula maxime est excolenda.

- Th. I.* In tanto linguarum numero, quas quisque cultu animi haud vulgari contentus, praecipue vero litterarum studiosus intelligere debet, facillime in quaestionem incidimus, annon una quidem lingua ante omnes studium nostrum postulet?
- Th. II.* Linguarum ope omnino tum possumus ideas retinere et instaurare, tum eas fonis articulatis sive verbis elatas cum aliis hominibus communicare.
- Th. III.* Commune est igitur vinculum, quod hominum societatem et universam congregat, et imprimis ratione litterarum et omnium commodorum exinde hauriendorum conjungit.
- Th. IV.* Quae commoda eo majora sint necesse est, quo magis eorum causa, h. e. lingua est excolta atque perfecta.
- Th. V.* Quid ergo est naturae convenientius, quam, ut maximum studium illi linguae excolendae adhibeamus, quam primam a parentibus auditam a puero locuti sumus, et qua ii homines utuntur, qui nobiscum iisdem legibus et artibus continentur, quid multa? quae in patria nostra vernacula est?

Th. VI. Sicut unusquisque veste, vultu, ingressu, omnique habitu aliis placere studet, ita maxime profecto lingua hoc fieri debet, cujus usu summa voluptas aliis creari potest. Et sine dubio nulla alia re juvenis magis commendatur, quam facultate jucunde modesteque loquendi cum cetero decore conjuncta, sine qua doctissimus etiam negligitur.

Th. VII. Atque incultissimus quisque adeo delectatur, si quem bene et venuste loquentem audit. Admiratione commotus adsentit ei, quemadmodum mali etiam virtutis pretium negare non possunt. Inde tanta eloquentiae vis; quam in excultos et inexcultos homines exserit.

Th. VIII. Animi nostri deinde cultura et pars cognitionis maxima a linguae perfectione pendet. Nam verba perperam adhibita veras et claras ideas minime dare possunt.

Th. IX. Quantam porro vim lingua habeat ad ingenium universi populi excolendum, inde judicare satis licet, quod et linguae et litterarum artiumque in omnibus populis iidem semper fuerint progressus.

Th. X. Cum facultate bene loquendi facultas bene scribendi arte conjuncta est: qua quidem in re majorem laudem feret, qui lingua ab omnibus intellecta librum perficit, quam qui aliena a paucissimis intellecta vel optima quaeque scripserit.

Th. XI. Studium autem linguae vernaculae eo magis alluciet, quo plus perfectionis in ea reperimus.

Th. XII. Germanica lingua autem ea perfectione gaudet; per longum enim tempus neglecta nostro saeculo eo perfectionis elata est, ut cum omnibus sive veterum sive recentiorum linguis excultis certare possit.

DISPUTATIO III.
D. XVII. MAJ. MDCCXCIV.

H A B E N D A .

Resp. BROCKMEYER. Opp. SCHEELE I. SCHEELE II.

Medicinam popularem scriptis magis
magisque divulgandam.

Th. I. **U**nicuique homini nihil integræ valetudine
est optabilius.

Th. II. Illam igitur conservare, omnium maxime
interest: quod plurimis tamen ob exiguam corporis
cognitionem, fœcordiam, pertinaciam, perversos mores variasque opiniones et super-
stitutiones difficillimum est.

Th. III. Tristissimis autem exemplis edocti, multi,
præsertim recentissimorum temporum, scriptis
medicis popularibus hujus quoque scientiæ no-
tiones publice utilissimas inter populum quoque
divulgare, et detrimentis ex ignorantia oriundis
providere studuerunt.

Th. IV. Horum scriptorum utilitas jamjam percepta
etsi negari haud potest: multum tamen adhuc
superesse faciendum ex eo recte concludere nos
licet, quod nunc ipsum etiam tantum ignorant-
iæ, superstitionis, vanitatis non solum inter
plebejos, sed inter primores quoque ordines
reperitur! Ad quod minuendum malum, effi-

cacissima videtur lectio librorum medicorum, ingenio, ideis, conditioni, linguæ populi plane respondentium: ex quo commoda maxima in omnes essent redundatura.

Th. V. Libri enim medici naturam, elementa, vires, proprietates corporis humani exponunt.

Th. VI. Hæc corporis humani cognitio efficiet, ut corpus suum quisque illiusque valetudinem tanto majoris æstimet, Deique sapientiam in illo tam artificiose construendo admiretur, tanto minus autem imperitia morbos sibi paret.

Th. VII. Libri illi tradunt imperito remedia paratu facillima, quibus ad corporis integram valetudinem conservandam uti possit; monent, ne negligentia morbos sibi contrahat; diætam inprimis et vitæ regimen exponunt; denique præcipiunt, quomodo gerere se debeat, si forte in parva mala inciderit, ut majora evitet.

Th. VIII. Jam vero hujus generis libros rudibus haud esse utiles multi censuerunt. Attamen mihi videtur detrimentum ex eo ortum non tam rei ipsi, sed scribentium vitio sæpissime tribuendum; atque si nonnullis nocuisse videantur, in tam multos alios utilitatem inde redundasse facile probari potest.

Th. IX. Atque hæc una utilitas jam satis magna foret, si efficerent, ne a medicastro sic dictis multi deciperentur, persuaderentque, ut morbis in gravioribus medicum artis peritum consularent.

DISPUTATIO IV.

D. XX V. MAJ. MDCCXCIV.

HABENDA.

Resp. BRAUNSCHWEIG. Opp. HEYER. TOPP.

Dies solennes instituere, esse utilissimum.

Th. I. Dies Solennes instituuntur rerum memorabilium causa.

Th. II. Modo enim in memoriam hominum magnorum et excellentium, modo ob beneficia Dei præcipua, ob averfas calamitates, ob bella repressa aut composita, et hujus generis alia, celebrantur.

Th. III. His igitur institutis perpetua virorum excellentium memoria conservatur.

Th. IV. His ipsis alii ad benefacta illorum imitanda excitantur, si bonos, probosque post mortem coli et virtuti probitatisque honorem haberi vident.

Th. V. Virtutem ipsam et quævis laudatu digna, si talia præmia videmus, tanto majoris faciemus.

Th. VI. Præcipue hoc fiet, si dies ejusmodi solennes iterantur, eandemque rem iterum iterumque meditantam, post aliquod tempus semper in memoriam iterum revocant.

Th. VII. Solennes autem in memoriam beneficiorum divinatorum institutæ efficiunt, ut beneficiis his

in memoriam revocatis beneficentissimum nobis cogitemus Deum. Et quid melius est, quam veras sibi comparare de Deo bono et benefico notiones?

Th. VIII. His ipsis perducimur ad Deum amandum. Quis enim non Deum amabit, qui credit, eum esse beneficentissimum?

Th. IX. Porro etiam perducimur ad gratias Deo agendas; omnes enim, qui beneficia Dei recte perspiciunt, grato maxime animo illum venerentur necesse est.

Th. X. Inprimis denique solennia quævis ad animos populi commovendos magnam habent vim: quamobrem ita instituenda sunt, ut huic inprimis placere et prodesse possint.

DISPUTATIO V.
D. XXXI. MAJ. MDCCXCIV.
H A B E N D A.

Resp. HOPPE. Opp. MODEL. DELIUS.

Melius esse,
virtutem præceptis, quam exemplis
discere.

- Th. I.* Virtus nihil aliud est, quam ex legibus naturæ agere.
- Th. II.* Hæ leges semper sunt eadem: virtus autem eo firmior est, quo stabilis immutabilisque habet fundamentum.
- Th. III.* Porro & universales sunt, ex usu quidem & experientia abstractæ, sed omissis particulis, communibus autem retentis, constitutæ. Igitur ad omnia, quæ sub illis comprehenduntur, applicari possunt.
- Th. IV.* Non sensu solum, sed intellectu judicioque nituntur: quo fit, ut recti, quod agimus, non solum conscii nobis simus, sed omnia omnino ex certa de Dei natura persuasionem agere discamus.
- Th. V.* Purioris intellectus cum hæc sint præcepta, errores vitæ haud tam facile intermiscuntur.
- Th. VI.* Facilius etiam, præceptis bene pernoscentis, totam officiorum nostrorum complexionem colligimus, cum ordine & ratione omnia tractamus.

Th. VII. Denique ex perfectione rei ipsius iudicamus, non ex iis, quæ inde consequuntur & casu sæpe tantum cum virtutibus & vitiis conjuncta videntur.

Th. VIII. In exemplis omnia fere his contraria sunt.

Th. IX. Primum enim incerta sunt & mutabilia, etiam in iis hominibus, quos optimos & perfectissimos putavimus.

Th. X. Quævis deinde exempla nihil nisi singulas singulorum hominum actiones continent; in quibus ipsis, nisi erroris periculo exponere nos volumus, iterum, an legibus consentaneæ fuerint, quærendum est.

Th. XI. Eadem sensus sæpe magis movent, quam intellectum.

Th. XII. Eamque ipsam ob causam sensuum vitæque communis errores his ipsis exemplis quam sæpissime adhærent.

Th. XIII. Porro fragmenta quasi quædam Ethices tantum habenda sunt, casu nobis objecta; quam ob rem ad exempla qui nos delegat, mancã & imperfectam dat institutionem.

Th. XIV. Qui denique exempla sequuntur, comoda plerumque & incommoda, quæ ex actionibus nascuntur, spectant; quæ cum casu & fortuna regantur, omne virtutis studium incertum fit & vacillat.

Th. XV. Non igitur præcepta exemplorum causa, sed præceptorum causa, quibuscum illa convenire intelligimus, exempla sequimur; & melius ergo est, continuo & sine ambagibus præcepta ipsa sequi.

DISPUTATIO VI.

D. XII. JUL. MDCCXCIV.

HABÉND A.

Resp. HECHT. Opp. HEINEKE. SPILLEKE.

Romanos

tam virtuti et prudentiæ, quam fortunæ
suæ magnitudinem imperii sui debere.

Th. I. Multi fuerunt, qui Romanos soli fortunæ suæ magnitudinem imperii debere crederent: sed si historiam romanam consulimus, Romanos illam tam virtuti & prudentiæ, quam fortunæ debere inuenimus.

Th. II. Romani inprimis optimi suæ ætatis milites erant, ab adolescentia enim in armis & laboribus ferendis exercebantur & exerciti nomina militiæ dabant.

Th. III. Aemulatio, fortis etiam post acceptas clades animus, gloriæ, libertatis dominandique cupido, disciplina, perfectio rei militaris Romanos excellentissimos bello milites faciebant.

Th. IV. Romani cum populis bellum gesserunt, qui acerrime pro libertate pugnabant, & sæpe victi rebellabant, et non nisi summa virtute vinci poterant.

Th. V. Non multos milites mercede conductos in exercitu habebant, et maxima ex parte victores pacem faciebant.

- Th. VI.* Cum facile intelligerent, urbem suam, si potentes esse vellent, a multis incolis habitandam esse: illos, qui Romæ habitare cupiebant, bene excipiebant, & incolas multarum captarum urbium coegerunt, ut Romam migrarent.
- Th. VII.* Populos subactos sibi amicos reddere studuerunt, aut socios appellando, aut leniter certe imperando.
- Th. VIII.* Multi focii, quos prudentia et humanitate sibi paraverant, in bellis gerendis valde proderant, & horum auxilio occasionem habebant novas terras occupandi.
- Th. IX.* Multis artibus & contentione perpetua Romani impedire studuerunt, quo minus alia natio aut rex potentior fieret.
- Th. X.* Etiam egregius modus imperandi, et multæ leges, & præclara instituta magnitudinem romanarum terrarum firmaverunt.
- Th. XI.* Romani victis hostibus partem agrorum adimebant, & in illos colonias mittebant, quibus fines tuerentur.
- Th. XII.* Nihilo tamen minus illud omnino fatendum, etiam fortunæ Romanos multa debere, nulum enim tempus e. g. incidit, ubi cum duobus potentissimis populis simul esset pugnandum.
- Th. XIII.* Hostium imperatores sæpe victoria non usi sunt.
- Th. XIV.* Eodem & magnas illas, quæ Romanis contigerunt, hereditates referre possumus.

DISPUTATIO VII.
EXTRAORDINARIA
AD
MEMORIAM SECULAREM
ACADEMIAE HALENSIS
CELEBRANDAM
D. XIV. JUL. MDCXCIV.
HABITA.

Resp. ULLRICH. Opp. JUNG. MODEL.
PROXIMO EXAMINE HALAM ABITURI.

Academiae Halensis laudes.

- Th. I.* Academia s. Universitas Halensis, loco Academiae Equestris, quae antea fuerat, anno MDCXCIV. a Friderico III, (qui postea Rex Fridericus I. dictus,) Electore Brandenburgico, fundata & a Leopoldo I, Imperatore Romano, confirmata, d. XIV. Jul. MDCXCIV. autem solenni ritu inaugurata fuit.
- Th. II.* Hoc igitur ipso die Memoria hujus Inaugurationis secularis incidit, Academiae Halensis laudibus jure celebranda.

- Th. III.* Per integrum hoc, quod absolvit, seculum mirum quantum de republica litteraria in omni doctrinarum genere bene meruerit!
- Th. IV.* Primum enim in omni disciplinarum litterarumque genere viros magnos & præclaros habuit, quorum & uilitate & fama Academia Halensis eo præstantiæ euecta, ut inter reliquas Germaniæ Academiæ & multitudine & laude discipulorum excelleret.
- Th. V.* Nominandi ex Theologis antiquioribus Baier, Breithaupt, Buddeus, Anton, A. H. Franke, Joach. Lange; ex recentioribus S. I. Baumgarten, Freylinghausen, Semler, Knapp pater & filius, Næsselt, Niemeyer.
- Th. VI.* Ex Jurisconsultis inclaruerunt Sam. Stryk, Ludwig, Just. Henning, Böhmer, Heineccius, Nettelblatt, Mahdin, Woltaer, alii.
- Th. VII.* Ex Medicis antiquioribus Frid. Hoffmann inprimis & G. Ern. Stahl, ex nostris Juncker, Böhmer, Goldhagen, Kemme, Mekel.
- Th. VIII.* Ex Philosophis Thomafius, jam ante Academiæ Equestris præceptor, multos Halam discipulos alliciendo, Academiæ fundamentum jecit; Wolff & doctrina & fatis inclaruit; quem Alex. Baumgarten & Meyer secutus est; hodie Eberhard & Maafs philosophia Leibnitiana clari, Jacob & Tieftrunk Kantianam sequuntur.
- Th. IX.* Philologia sacra Michaelis pater & filius, Simonis, Callenberg, Schulz uterque; profana Heineccius jam nominatus, Klotz, Jacobi, Wolff insignes.
- Th. X.* Mathesi & Physica insignes Segner, Krüger, Jo. Pet. Eberhard, Karsten, Klügel, Gren.

- Th. XI.* Historia Ludwig jam dictus, Gundling olim, Büfching etiam breve per tempus; Mangelsdorf, Fabri, Krause.
- Th. XII.* Non plenum hic dedimus catalogum; multi enim viri, celebres itidem & præclari omiſſi: ſed in his, quos recensuimus, quanta nomina!
- Th. XIII.* Hisque viris ii Principes contigerunt, qui vel Mæcenates dici ſe gauderent, velut Fridericus I, vel adeo litterarum cognitione & amore excellerent, veluti Fridericus II Rex, cujus longum inprimis imperium, ut reipublicæ litterariæ univerſæ, ita & Halenſi Academiæ, fuit ſaluberrimum.
- Th. XIV.* Hiſce auſpiciis felix Academia prima plurimis in litterarum generibus doctrinæ liberalioris per Germaniam ſemina diſperſit, e. g. in Philoſophia Thomafio & Wolfſio, in Theologia Baumgartenio & Semlero auctoribus.
- Th. XV.* Singularem denique felicitate quadam huic Academiæ etiam contigit, ut inſtitutis ſalutaribus cum illa quodammodo conjunctis occaſionem daret et originem.
- Th. XVI.* Quo quidem primum Orphanotropheum & Pædagogium Regium eſt referendum, quæ ad emendandam puerorum inſtitutionem & educationem eo tempore, quo aliis omnibus, quibus nunc celebratur, hujus generis inſtitutis Germania adhuc carebat, utiliſſima fuerunt.
- Th. XVII.* Miſſiones quæ vocantur, ſive inſtituta ad Religionem Chriſtianam tam inter Indos orientales & Americanos, quam inter Judæos propagandam, eſſi nonnullis navis & laboraſſe & adhuc laborare videantur, multis tamen

nomi-
nibus etiam profuerunt, sine Academia hac
autem nulla fuerant.

Th. XVIII. Præterimus Seminaria Theologi-
ca, Philologica, Pædagogica, quæ cum
Academia ipsa conjuncta & olim fuerunt & no-
stris etiam sunt temporibus.

Th. XIX. Moribus etiam emendandis, quæ
difficillima Academiis cura incumbit, variis &
legibus & institutis prospectum est, res certe
multifariam & haud sine fructu tentata.

Th. XX. Hisce igitur institutis & hac ratione maxi-
mus hominum doctorum in omni genere per
universam Germaniam proventus exstitit, qui
Religioni Christianæ, Rei Scholasticæ, omnibus-
que omnino vitæ humanæ negotiis peragendis
summam laudem consecuti sunt, rei autem pu-
blicæ tam litterariæ, quam civili, per omnem
Germaniam, inprimis autem regno Borussia,
egregie profuerunt.

Deum igitur Optimum Maximum precamur,
ut hoc Institutum & publice ad Veritatem &
Virtutem propagandam utilissimum, & nobis
Halberstadiensibus inter reliquas regni nostri
Academias propter viciniam amicissimum, quæ
illius est benignitas, tueatur & seruet, & (ut
Horatii voto utamur.)

„Alterum in lustrum meliusque
semper

„Præroget ævum!“

DISPUTATIO VIII.

D. XIX. JUL. MDCCXCIV.

HABENDA.

Resp. NETTMANN. Opp. FAHRENHOLZ. OPPERMANN

Melius esse,
in honoribus militaribus distribuendis non
tam majorum, quam propriae virtutis
rationem haberi.

- V**idemus nostris temporibus, in distribuendis primis honoribus militaribus militum tantum principes horum participes fieri; quanta autem utilitatis sit, si, quivis miles de republica bene meritus, hos honores primos assequi possit, breviter exponere mihi liceat.
- Th. II.* Quisque signo adscriptus spe honorum primorum militarium capiendorum libentius stipendia merere mallet.
- Th. III.* Nam tam multi eorum militiae se subtraherent, propinquos suos redderent infelices, aut eos maxima in rerum difficultate desererent.
- Th. IV.* In exercitibus eo ipso omnes multi fideliores forent, si sperare possent, conditionem suam sensim sensimque iri emendatum.
- Th. V.* Milites ipsi, si possent bene gerendo hos honores assequi, eos, a quibus reguntur, multo magis magni facerent ac pluris aestimarent.

Th. VI. Eandem ob causam milites inferiores a principibus melius tractarentur, quia labores ac molestias militum hi olim eodem modo & ipsi experti essent.

Th. VII. Et hoc modo omnes milites majori diligentia; majori virtute pro patria incitarentur, & omnibus omnino opinio præriperetur, militem esse infelicem.

Th. VIII. Quisque contra cum stipendia merere mallet, non necesse esset, tam multos fugitivos & homines perditos, morum corruptores, mercede conductos, neque impensas ad peregrinos conducendos facere.

Th. IX. Etiam si nemo majorum causa anteponeretur, non tam multi rei militaris imperiti honores primos caperent, qui alio loco, alioque ordine, reipublicæ utiliōres essent futuri.

Th. X. Et tunc supremorum etiam ordinum homines magis incitarentur, ut economiæ mercaturæ & aliis artibus studerent, neque ulla aut animi arte aut corporis robore præditi rei militari vacarent.

DISPUTATIO IX.

D. XXVIII (I. XXVI.) JUL. MDCCCXCIV

H A B E N D A.

Resp. BEKHURS. Opp. BROCKMEYER. SCHEELE I.

Navigationem maxime profuisse litteris.

Th. I. Observationibus fortuitis homines primum plerumque inducuntur ad experimenta rerum facienda, quæ si voto respondent, eos impellunt atque incitant, ut eadem repetant & ita sensim sensimque machinas inveniant, quæ porro exulta & perfecta maximo emolumento hominum generi esse possunt.

Th. II. Eodem modo artem navigandi inventam & perfectam esse credo; quæ litteris tantopere profuit.

Th. III. Sed sine pyxidis nauticæ inventione navigatio non ad eum perfectionis gradum pervenisset; inventa autem & ipsa viris doctis multa perscrutanda obtulit, & navigandi artem mirifice adjuvit. Nam

Th. IV. Tum primum majore cum securitate navigatores, quorum detectionibus litteræ quam plurima debent, in altum vecti sunt, & insulas terrasque detexerunt.

Th. V. Nunquam enim cognitionem orbis terrarum perfectiorem accepissemus & illa, quas per navigationem detectas cognovimus, terræ aut nunquam, aut sero detectæ essent, & opinando solum suspicandoque contenti esse debuissemus.

Th. VI. Nullam igitur notitiam de America, magna illa, sed ab aliis tribus longe remota terræ parte, percepissemus.

Th. VII. Omnibus aliis ommissis, hujus magnæ sive terræ sive insulæ detectio cognitionem nostram & geographicam & historicam copiose auxit, & historiæ naturali, physicæ, physiologiæ & medicinæ maxime profuit.

Th. VIII. Geographia nempe ex illo ad summum fere perfectionis fastigium evecta est, & partibus terrarum interioribus exceptis, pauca tantum detegenda restant. In historia autem & indigenarum cum externis illis expugnatoribus bella & eorum animos, culturam, mores, ritusque cognovimus.

Th. IX. Quod ad historiam naturalem attinet, quam multa animantium, metallorumque & lapidum genera antea incognita, inprimis autem homines ipsos variamque eorum naturam cognoscimus.

Th. X. Medicinæ multarum herbarum plantarumque, quæ in terris illis nascuntur, cognitio maxime prodest.

Th. XI. Observationibus navigatorum eorumque scriptis quam multa sunt a Geometris, Physicis & Astronomis collecta ad ipsorum scientiam pertinentia! Ex quibus magna jam utilitas hausta & haurienda adhuc est.

DISPUTATIO X.

D. II. AUG. MDCCXCIV.

HABENDA.

Resp. SPILLEKE. Opp. BRAUNSCHWEIG.
SCHEELE. II.

Fortunam adversam magnam esse cau-
sam nostræ perfectionis.

Th. I. Fortunæ adversa sapius ad nostram perfectionem magnum est momentum, quod his argumentis maxime demonstrari posse existimo.

Th. II. Fortuna adversa animum modo nobis non suavi movet.

Th. III. Eam autem tum plerumque videmus existere, ubi aut effectus rerum nobis erant ignoti, aut subsidia rebus consequendis adhibita per-versa.

Th. IV. Quod si accuratius delibetamus, invenimus, nostram ignorantiam, negligentiam & conditionem imperfectam, maximam plerumque illius fortunæ adversæ fuisse causam.

Th. V. Unica ergo ratio, qua tutos nos contra illam præstare possumus, quantum quidem in nobis est, consistit in subsidiis melioribus invenien-dis sive ad assequenda proposita nostra, sive ad pericula, quæ imminet, avertenda.

Th. VI. Si e. c. cujusdam rei effectum, antea nobis ignoto, morbum, aut alia incommoda concipi-

mus, posteris temporibus illius usum maxima diligentia evitabimus.

Th. VII. Qua de causa notiones distinctas nobis parabimus de rerum natura, de institutis utilibus, factis a deo in terra; subsidiis perfectioribus inveniendis, & artibus studebimus rectis, quibus ea prohibeamus, quæ nobis incommodo esse possent.

Th. VIII. Felicitatis igitur nostræ in causis est fortuna adversa, quamquam hoc sibi repugnare videatur.

Th. IX. Felicitatem adipisci non possumus, nisi notiones rectas de rebus habeamus nobis necessariis, & subsidia nobis sint nota, quibus illas assequi possimus. Cum autem rebus adversis, ut antea demonstratum est, multas notiones distinctas nobis parare cogamur, sequitur, fortunam adversam magnam esse causam nostræ felicitatis.

Th. X. Porro fortunam adversam perpeffi recepta quæcunque bona eo majori studio servare studebimus.

Th. XI. Cogitatio denique Dei potentis ac benigni excitatur, quæ forsitan alias ex hominum animo periret.

Th. XII. Quibus ex causis demonstratum existimo, fortunam adversam magnam esse causam perfectionis ac felicitatis nostræ.

DISPUTATIO XI.

D. IX. AUG. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. **OPPERMANN.** Opp. **HOPPE. HEYER.**

Græcis Romanos in litteris anteferen-
dos esse.

Th. I. Inter veteres populos Græci primi magno studio litteris artibusque vacabant, atque eas præcipue excolebant.

Th. II. Hanc ob causam magnos & præclaros viros habebant, qui fundamenta litterarum, eloquentiæ, e. g., artis poëticæ aliarumque artium collocabant, & qui adhuc apud nos in maximis honoribus sunt.

Th. III. Atque hi viri omnia, quæ ante eos alii populi in litteris fecerant, in unum conferebant, novisque accessionibus augebant, multa etiam primi inveniebant & in lucem proferebant.

Th. IV. Omnes populi ab iis ergo sapientiam & veras in litteris noções habent.

Th. V. Inter quos etiam Romani, qui, sicut multa alia a Græcis acceperunt, etiam in hac re eorum amulatores fuerunt.

Th. VI. Romani quidem etiam multos præclaros viros, litteris excellentes & maxime nobis venerandos habebant; sed hi partim græcis doctioribus & exemplis formati erant, partim e Græcia ipsa litteras & sapientiam repetierant.

Th. VII. Et quia hi nullo modo græcis autoribus pares sunt, litteras neque sic perfecerunt, Græci mihi videntur in litteris anteferendi esse Romanis.

DISPUTATIO XII.

D. XX. (I. XVI.) AUG. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. SCHEELE I. Opp. HECHT. TOPP.

Spem immortalitatis esse necessariam
ad recte agendum.

- Th. I.* Nihil rerum homini, his in terris degenti, majoris momenti esse potest, nihilque magis optandum ac sperandum, quam immortalitas animi.
- Th. II.* Hanc enim spem summam vim in vitam moresque ejus habere, infitari nequimus.
- Th. III.* Quomodo enim de naturæ suæ excellentia, vitæque pretio recte judicare, eaque omnia fati magni æstimare potest, si tantum ad hos paucos annos, qui ipsi hic degendi sunt, a Deo creatum se esse putat?
- Th. IV.* Qua re magis contra incitari potest ad recte agendum, quam si cogitat, post hanc vitam existere aliam, ubi bonis bene, ac malis male futurum sit?
- Th. V.* Inprimis si hac vita sciat nos tantum præparari ad illam, qua Dei remuneratoris æterno ac beatifico adpectu gavifurus sit.
- Th. VI.* Quodsi tantum hoc tempus paucorum annorum his in terris ipsi transigendum sit, nullius

rei curam ageret, quam ut vitam suam sustentaret, cupiditatibusque satisfaceret, perfectionem suam autem negligeret.

Th. VII. Jusjurandum sine ea nullo emolumento foret.

Th. VIII. Plura committerentur suicidia, plura homicidia, potentior infirmiore, si ipsum aditu ad commoda intercluderet, e medio tolleret: quid multa? omnia temere vitia committerentur, eorum autem poenis facinorosus quisque morte se subtraheret, ni memor esset recompensatoris boni ac mali, cujus, etiamsi hac in vita poenas legum effugere posset, tamen in potestate maneat.

Th. I. Illi rerum homini, his in terra deest, majoris momenti esse potest, nihilque magis oporandum ac sperandum, quam immortalis animi.

Th. II. Haec enim ipse numerum vim in vitam mortuusque eius habere, iudicari videtur.

Th. III. Quomodo enim de naturae huius excellentia vitaeque pretio recte iudicare, eoque omnia huius mundi estimare potest, si tantum ad hos paucos annos, qui ipsi hic degendi sunt, a Deo creatum se esse putat?

Th. IV. Quae re magis eorum inclamari potest ad regem agendum, quam si cogitat, post hanc vitam existere aliam, ubi bonis bene, ac malis male futurum sit?

Th. V. Inprimis si hac vita sciat nos tantum praeparari ad illam, qua Dei remuneratoris aeternae ac beatissimae adhaerere speramus.

Th. VI. Quodsi tantum hoc tempus paucorum annorum hic in terra ipsi transigendum sit, nullius

DISPUTATIO XIII.

D. XXIII, AUG. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. SCHEELE II. Opp. NETTMANN. MODEL.

Fridericum secundum maximum seculi
sui fuisse regem.

Th. I. Ingens est rerum gestarum multitudo, quibus Fridericus secundus immortalē sibi apud posteritatem peperit nominis gloriam.

Th. II. Quosdam quidem reges hoc etiam seculo videmus, rebus domi belloque bene gestis, præclaros vixisse. Fridericum secundum autem omnium maximum fuisse, paucis his demonstrare studebo.

Th. III. Præferendus mihi primum videtur ob sapientiam & prudentiam, quas omnibus in rebus gestis ostendit, & quas in quibusdam hujus seculi principibus desideramus.

Th. IV. Deinde ob humanitatem & misericordiam, qua non solum apicos suos bene de se meritos, sed adversarios ipsos complexus est.

Th. V. Tunc propter eruditionem. Ornatus erat enim tanta eruditione, quantam raro in principe offendimus.

Th. VI. Tanto majori autem laude eam coluit, quod, cum summam voluptatem e litteris caperet,

iiisdem tamen tempore tantum concessio vacaret, numquam autem negotia aut officia sua posthaberet.

Th. VII. Eminebat in eo eruditio ac cognitio rei militaris eximia, quas duas virtutes in nullo hujus seculi rege tantas tamque arcte conjunctas videmus.

Th. VIII. Documenta harum duarum virtutum per multa in bello in primis septem annorum edidit, quo, fere omnibus Europæ principibus ipsi bellum inferentibus, præstanti disciplina fortitudinæque militum suorum adjutus, tamen felici Marte contra eos pugnavit.

Th. IX. Simulac rerum potiebatur, nulli pepercit rei, ut juvenus melius intituereetur.

Th. X. Operam dabat diligentissimam, ut numerus incolarum augetetur, agricultura adjuvaretur, & mercaturæ confuleretur.

Th. XI. Benignas aures præbuit subditis, auxilium ab eo petentibus, eos omni, quo poterat, modo adjuvans. Nonne contrarium in aliis cognoscimus?

Th. XII. Diminuebat aulæ pompam, ut subditos suo exemplo ad imitationem excitaret inflammaretque; omnem autem pecuniam, ita collectam, ad publica beneficia impendebat.

Th. XIII. Hisce præmissis, jure contendere me posse existimo, Fridericum secundum omnium hujus seculi principum fuisse maximum.

DISPUTATIO XIV.

D. XXX. AUG. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. HEYER. Opp. ULLRICH. DELIUS.

Quanam causæ ruinam imperii romani
effecerint?

Th. I. Nullum profecto imperium tam exiguis ab
initiiis tantam amplitudinem consecutum est,
quam romanum.

Th. II. Ut vero omne nimis magnum sua magni-
tudine laborat, ita etiam romana respublica ma-
xime ipsa magnitudine sua labefactata & diruta
est.

Th. III. Deinde nulli facile imperio tam multæ & tam
variæ imperandi formæ fuerunt, quam romano.
Primum enim reges, tum consules, dictatores,
decemviros, triumviros & postremum impera-
tores habuerunt. Etiam hæc causâ ruinæ fuit.

Th. IV. Discordiæ patriciorum & plebejorum ad
tumultus & secessiones usque civium sibimet in-
festorum sæpius exstiterunt.

Th. V. Majus etiam bella civilia reipublicæ detri-
mentum attulerunt; nam in illis multa crudeli-
ter facta multaque vastata sunt, ut omnia om-
nino bellâ civilia crudeliora aliis esse solent.

Th. VI. Maxima autem causa ruinae fuit confluxus omnium divitiarum orbis terrarum; his pristina virtus romana ita tandem labefactata est, ut barbari eos facile vincerent.

Th. VII. Divitiis mores tam corrupti & luxuria tam excitata, ut interdum e. g. multa millia aëris una in cœna profunderent.

Th. VIII. Maxima pars divitiarum in manibus patriciorum & equitum fuit, qui administrandis provinciis & conducendis vectigalibus illas collegerant, provincias autem injuriis nomini romano infestas reddiderunt.

Th. IX. Plebs autem ad spectu divitiarum pigra est facta, noluit laborare, sed ex ærario & a primoribus nutrirî voluit, quod ubi non factum est, tumultum excitavit.

Th. X. Sub imperatoribus denique maximam partem voluptatibus & crudelitate, prodigalitate & avaritia, omnique alio vitiorum genere insignibus, omnia pessum ibant, usque dum barbaris denique in prædam cederet imperium, & undique discinderetur.

DISPUTATIO XV.

D. VI. SEPT. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. Topp. Opp. BEKHRS. SPILLEKE.

Urbes magnas esse perniciosissimas.

Th. I. Multi quidem contrarium multis argumentis probare conati sunt, re tamen ab omnibus partibus bene perspecta, urbes magnas, inprimis si ultra modum excreverint, ut Roma antiquis, Lutetia & Londinum recentioribus temporibus, perniciosas esse intelligemus.

Th. II. Urbes unicuique regioni magnam utilitatem afferre, nemo negare potest, si vero nimis magnæ fiunt, ut antea emolumento erant, ita tum detrimento sunt.

Th. III. Multitudo enim peregrinorum, conjuncta cum incolarum magno numero, annonæ difficultates sæpe afferre potest.

Th. IV. Deinde luxuria, si illud malum inprimis accesserit, tanta paupertas oritur, quantam neque minoribus oppidis, neque rure invenimus.

Th. V. Ita vel opulenti sæpe ad paupertatem rediguntur, & quia laboribus abhorrent, partim cupiditatibus incitantur, & ad furripienda variis mo-

dis aliorum bona impelluntur. Hoc modo, qui bene meriti fortasse de republica, si vixissent alibi, fuissent, fures latronesque fieri possunt.

Th. VI. Tum experientia docet, majores ibi esse voluptates & omnis generis vitia, quibus juvenus præcipue corrumpitur.

Th. VII. Majorem etiam hic invenimus conflusionem hominum perditorum, quia tutius committere facinora possunt.

Th. VIII. Porro etiam multis exhalationibus vaporibusque magis corruptum ibi invenimus aërem, quam in oppidis atque agris: unde magna urbes fere infalubriores sunt, & major hominum mortalitas. Morbi enim inde non raro sequuntur, quibus opprimantur homines: atque ita rure fortiores atque firmiores reperiuntur, quam magnis in urbibus.

Th. II. Urbes antiquæ regionem magnam nullam
afferte, nemo negare potest, si vero nimis mag-
na sunt, ut antea emolumento erant, ita tum
deverimento sunt.

Th. III. Multitudo enim peregrinorum, conjuncta
cum incolarum magno numero, annonæ distri-
butio, culinae sapere afferte potest.

Th. IV. Denique luxuria, si illud satium inprimis
accesserit, tanta gubernetur, quantum ne-
que minoribus opibus, neque tunc invenimus.

Th. V. Ne vel opulentia sapere ad gubernetur regi-
bus, & quia laboribus abhorrent, partem capi-
talem incidunt, & ad satiationem variis mo-



DISPUTATIO XVI.

(ex Respondentium ordine XII.)

D. XIII. SEPT. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. JUNG. Opp. HEINER. OPPERMAN.

Nimiam sapientiam,
præcipue in iis, quæ ad religionem spec-
tant, perperam ad causas turbarum
Gallicarum referri.

Th. I. **M**ulti homines, præcipue inexculti & re-
rum ignari nimiam sapientiam turbas Gallicas
protulisse queruntur: ego autem contrarium
ostendere studebo.

Th. II. Sapientia hominibus rectiores clarioresque
notiones comparat, & eos ab erroribus liberat:
quod quis prædicare de Gallis potest?

Th. III. Inprimis si ad religionem spectemus, quan-
tis in erroribus quantaque ignorantia populus
versabatur!

Th. IV. Eadem ignorantia & clerici, maxime in
pagis, laborabant. Cum autem ii, qui populo
rectas ideas de Deo atque tota religione debuis-
sent tradere, eas ipsi non haberent, facile in-
telligitur, omnem populum multo minus rectas
notiones religionis habere potuisse.

Th. V. Non melius scholis atque institutioni juven-
tutis cautum erat, cujus educatio, maxima ex
parte, rudibus hominibus, aut negligentibus tra-
dita erat.

Th. VI. Nulla inprimis res tam negligenter hac in
institutione tractata est, quam feveriores omnes
in genere disciplinae, praecipue autem religio:
apud urbanos & nobiles satis fere erat, si pue-
ri bene saltare, cantare, joculari didicerant, aliis-
que artibus non minus ludicris excellabant.

Th. VII. E tota educationis & institutionis publica
ratione facile intelligitur, Gallos non tam sa-
pere, tamque graves esse potuisse, quam Germa-
nos.

Th. VIII. Ex illa ipsa autem levitate & ignorantia,
moribusque corruptissimis, & perversa totius reg-
ni administratione facilius multo rectiusque
turbæ illæ & insaniam explicari possunt: tantum
abest, ut ad nimiam sapientiam, si quid de his
rebus judicare volumus, sit confugiendum.

Th. II. Sapientia humanis rectoribus clarescere
notiones comparat, & eos ad errores liberat:
quod quis praedicare de Gallis poterit?

Th. III. Sapientia ad religionem spectantem quan-
ta in erroribus graevae ignorantia populis
veritatem!

Th. IV. Eadem ignorantia & clerici, maxime in
viciis laborant. Cum autem si qui populo
casus idem de Deo agere sua religione debent
sunt tractare, eos non habent, sed in-
tellectum omnem populum multo citius res-
notiones religionis debere potuisse.

DISPUTATIO XVII.

D. XX. SEPT. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. MODEL. Opp. FAHRENHOLZ. JUNG.

Utrum Revolutio, quæ dicitur, Franco-
galliae necessaria fuerit?

Th. I. Quæque civitas, cujus cives vera gaudent libertate, quæ quidem consistit in eo, ut cuique jus, perfectionibus viribusque suis utendi, concedatur, merito felix appellari potest.

Th. II. Ex eadem libertate tamen cives maximum detrimentum capere possunt, nisi ratione ducuntur; tunc enim facillime hæc libertas in licentiam malam degenerat, unde Revolutio, quæ dicitur, Francogalliæ, & ut mihi quidem videtur, necessario est enata.

Th. III. Gallia, ut superiori disputatione monstratum est, vera religionis disciplina caret, sine qua homines in licentiam tandem prolabantur necesse est.

Th. IV. Porro etiam eo Revolutio Gallica mihi necessaria fuisse videtur, quod ex legum mutabilitate legum contentio orta erat.

Th. V. Hinc officiorum & jurium perturbatio, quam omnium brevi rerum perturbatio secuta est.

- Th. VI.** Munera tam civilia, quam militaria maximam partem cum sine venalia essent, sine ex sola gratia distribuere, multisque calumniis & fraudibus implicarentur, magistratuum auctoritas valde imminuta est.
- Th. VII.** Aes alienum, publice contractum, in tantam magnitudinem excreverat, ut unum malum non nisi alio malo tolli potuerit.
- Th. VIII.** Factionibus tam civilibus, quam religiosis semper in Gallia certatum est, idque ab antiquis inde temporibus inhumaniter saepe & crudeliter.
- Th. IX.** Nihil autem magis mutationibus, temere susceptis, favet, quam perpetua totius nationis levitas, qua ab uno facile ad alterum vitium transeunt, nulla in re sibi satis constant, semperque nova & audire & tentare cupiunt.
- Th. X.** In tali natione, tam corrupta, tam levi, tam novarum rerum cupida, tam veterum molestiarum, quae gravissima omnino erant, impatienti, cum centuriae hominum ex omnibus provinciis in consilium vocarentur, qui de remediis malorum inveniendis publice disceptarent, haud secus fieri potuit, quin rerum perturbatio & Revolutio consequeretur.
- Th. XI.** Quod quam necessarium fuerit sic accidere, inde etiam intelligi potest, quod diu a prudentissimis quibusdam viris talis rerum mutatio praevisa & praedicta fuit; non singula quidem, quae acciderunt, quod nulla humana prudentia potest, sed ipsa tamen in genere rerum mutatio.

DISPUTATIO XVIII.

D. XXIV. SEPT. MDCCXCIV.

Id est

pridie Natalitia Regis.

H A B E N D A.

Resp. DELIUS. Opp. BROCKMEYER. SCHEELÉ I.

Borussiam ante omnes alias civitates
felicem esse.

Th. I. Societatem hominum, certis legibus & institutis inter se conjunctam, nomine civitatis compellamus. Haud parvi momenti vero nobis est, quænam sint leges ac instituta civitatis, in qua versamur.

Th. II. Nosstram civitatem omnium aliarum esse fortunatissimam, me contendere posse existimo, quod breviter exponere studebo.

Th. III. Multum sine dubio valet in civitatis salute augenda, a bonis principibus regi. Borussia semper bonis regibus gavisa est. Nam omnes reges, præcipue ab Electore Friderico Wilhelmo Magno usque ad nostra tempora bene regendo Borussia regnum ad tantum magnitudinis & potentia fastigium sustulerunt.

Th. IV. Ipse Fridericus Wilhelmus fundamenta hujus clarissimi regni jecit: erat enim per Germaniam dignitate regia, quamvis carebat nomine.

- Th. V.* Omnes ejus deinde successores, domi forisque clari, bonis legibus & institutis subditis suis maxima commoda præstiterunt. Inter quos enituit Fridericus Magnus; nam, illo imperante, res Borussica ad tantam magnitudinem ac potentiam pervenit, quantam numquam antea adepta est.
- Th. VI.* Fridericus Wilhelmus II exemplum magni antecessoris sui sequitur. Benevolentia & benignitate sua quotidie ad salutem subditorum multum conferre studet.
- Th. VII.* Si in civitate omnia sunt ita instituta, ut saluti civium inserviant, ipsa civitas est tuta. In nostra patria invenimus omnia ita instituta.
- Th. VIII.* Præter justas & æquas leges, quibus tuti sumus ab aliorum injuriis, civitas magnis tributis non premitur.
- Th. IX.* Ubique in civitate nostra vigere agriculturam videmus; unde maxima commoda nobis redundant.
- Th. X.* Pæne omnes Europæ principes magno ære alieno premuntur. Nostræ civitati est ararium bene impletum.
- Th. XI.* Nulla in civitate scientiæ & artes magis florent, quam in nostra. Ubique invenimus viros litteris insignes, & artifices egregios.
- Th. XII.* Omnes si libertate fruuntur cogitandi & dicendi, melior cognitio rerum propagabitur. Civitas nostra typorum libertate fruitur.
- Th. XIII.* Vera libertate, quæ religione & legibus ducitur, in civitate nostra gaudemus.
- Th. XIV.* In civitate tam bene instituta & confirmata nulla perturbatio nobis est pertimescenda.
- Th. XV.* His præmissis, nos, cives Borussicæ, recte ante omnes alias gentes felices nominari posse intelligimus; & hoc tanto magis, si jam ad vicinos nostros respicimus, qui his omnibus carent.

ERRATA.

SEMESTRE HIBERNUM 1793-1794.

- Disp. XX. in titulo pro D. VIII. MART. lege
D. XII (l. VIII.) MART.
 D. XXIII. Th. 3. pro educationem, multos lege
educationem multos
 In Propositionum indice IV. pro perniciosissima lege
perniciosissima

SEMESTRE ÆSTIVUM 1794.

- Disp. IV. in titulo pro D. XX V. lege *D. XXIV.*
 — V. Th. 4. — Dei — *rei*
 — VII. — 20. — utamur. — *utamur,*
 — VIII. — 7. — diligentia; — *diligentia,*
 — — — 10. — œconomia mercatura lege *œcono-*
mia, mercatura .
 — IX. — 3. — mirifive — *mirifice.*
 — X. — 4. — imperfectam, maximam lege *im-*
perfectam maximam
 — — — 7. — deo — *Deo*
 — XI. in titulo — Græcis Romanos lege *Græcos*
Romanis
 — — Th. 4. — noctiones — *notiones.*

SEMESTRE ESTIVUM 1894

D. XXV. in hunc pro D. XXV. lege D. XXIX.

D. VII. in hunc pro D. VII. lege D. VII.

D. VIII. in hunc pro D. VIII. lege D. VIII.

D. IX. in hunc pro D. IX. lege D. IX.

D. X. in hunc pro D. X. lege D. X.

D. XI. in hunc pro D. XI. lege D. XI.

D. XII. in hunc pro D. XII. lege D. XII.

D. XIII. in hunc pro D. XIII. lege D. XIII.

D. XIV. in hunc pro D. XIV. lege D. XIV.

D. XV. in hunc pro D. XV. lege D. XV.

D. XVI. in hunc pro D. XVI. lege D. XVI.

D. XVII. in hunc pro D. XVII. lege D. XVII.

D. XVIII. in hunc pro D. XVIII. lege D. XVIII.

D. XIX. in hunc pro D. XIX. lege D. XIX.

D. XX. in hunc pro D. XX. lege D. XX.

D. XXI. in hunc pro D. XXI. lege D. XXI.

D. XXII. in hunc pro D. XXII. lege D. XXII.

D. XXIII. in hunc pro D. XXIII. lege D. XXIII.

D. XXIV. in hunc pro D. XXIV. lege D. XXIV.

D. XXV. in hunc pro D. XXV. lege D. XXV.

D. XXVI. in hunc pro D. XXVI. lege D. XXVI.

D. XXVII. in hunc pro D. XXVII. lege D. XXVII.

D. XXVIII. in hunc pro D. XXVIII. lege D. XXVIII.

D. XXIX. in hunc pro D. XXIX. lege D. XXIX.

D. XXX. in hunc pro D. XXX. lege D. XXX.



SEMESTRE HYEMALE

M D C C X C I V

DISPUTATIO I.

D. XI. OCT. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. HEINEKE. Opp. BRAUNSCHWEIG. SCHEELLE II.

Germaniam juventutis instituendæ artibus
reliquas Europæ nationes antecellere.

Th. I. **N**emo, sine dubio, negabit, bonam juven-
tutis institutionem maximæ esse necessitatis; ne-
que enim alias boni cives, quibus tamen om-
nis reipublicæ dignitas salusque nititur, civitati
contingere possunt.

Th. II. Huic igitur rei, cum maxime necessaria in-
telligatur, ubique magis minusve prævisum est
quidem: sed ex omnibus tamen, iisque vel ex-
cultissimis adeo & perfectissimis Europæ popu-
lis Germani mihi juventuti formandæ optime
consuluisse videntur; quod breviter ostendere
jam conabor.

Th. III. Totam rem primum in Scholis institutis, deinde in Institutione ipsa, denique in Libris, hunc in finem conscriptis, versari arbitror.

Th. IV. (I.) Institutorum tanta & tam varia, quam non in ulla alia natione, apud nos copia reperitur.

Th. V. Quibuscunque enim fere vitæ humanæ partibus & negotiis sunt sua apud nos instituta. Habemus enim non solum illa, quæ ubique litterarum causa condita sunt, Scholas, quas vocant, latinas, Pædagogia, Gymnasia, Lycea, Academias, Universitates; sed etiam Seminaria omnis generis ad præceptores ipsos arti suæ formandos, Scholas urbanas & paganas, Orphanotropha, Scholas industriæ, exercitiorum equestrium, rei militaris, rei nauticæ, mercaturæ, picturæ, aliarumque artium; quarum plurimæ a nobis aut inventæ, aut, si ab aliis accepimus, multis modis perfectæ sunt.

Th. VI. Hisque in institutis singulis reperiuntur, quæ jam omnia externa superant, & quotidie multorum virorum studio atque diligentia adhuc excoluntur & emendantur.

Th. VII. (II.) Ad Institutionem vero ipsam, sive modum juventutis formandæ, plura referenda videntur, quæ Germania quoque optima habet.

Th. VIII. Cum enim Res, quæ docentur, ut jam ex *Th. V.* apparet, proxime vitam ipsam attingunt, atque excolunt animum ad omnes cujuscunque generis doctrinas, artes & negotia; quod alibi quidem nusquam ita fit.

Th. IX. Tum vero Methodum, id est, optimam viam rationemque docendi, nulla natio majori cura excoluit, majoresque ipsa arte exercenda profectus fecit.

Th. X. (III.) Librorum autem, quibus ducibus adolescentes instituuntur, apud nos summa copia est & perfectio. Nam & scriptis, quæ ad educationem universam pertinent, & compendiis ad docendum aptis, & libellis, ut populo in genere, ita juventuti præcipue accommodatis Germania, quantum nulla alia natio, abundat.

Th. XI. Ad quæ quidem omnia illud etiam referre liceat. Præceptores, optimis institutis ad formandam juventutem præparati, non solum coluntur civium suorum judicio, & honore digni habentur, sed etiam, ætate provectiores, pro opera, patriæ navata, meritis plerumque præmiis & muniis donantur. Quibus rebus fieri non potest, quin studium illorum excitetur.

Th. XII. Educatores autem præclarissimos merito celebramus, quibus Germania gaudet; inter quos **Rochovius** *), humanissimus ille & beneficentissimus juventutis amicus, meritis emicat; quem ad salutem civitatis nostræ cum omnibus, qui illius similes sunt, diu conservari atque florere votis optamus.

Th. XIII. Multæ denique aliæ res, ad quas inprimis bonæ leges et principum nostrorum sapientia referendæ videntur, non parvum sunt hujus artis subsidium atque incitamentum.

Th. XIV. Quibus jamjam satis demonstratum puto, Germanos, si educationis laudem spectemus, primum esse terrarum populum, & omnibus aliis exempli causa proponendum.

*) Nat. d. XI. Oct. MDCCXXXIV.

DISPUTATIO II.

D. XVIII. OCT. MDCCXCIV.

HABENDA.

Resp. FAHRENHOLZ. Opp. HOPPE. HEYER.

Germana omnium gentium est princeps.

Th. I. Quo difficilius est, singulas alicujus nationis virtutes, quibus aliam, haud minus excellentem, superat, satis probare: eo difficilius audaciusque esse videtur, omnes virtutes in una natione conjungere atque hanc super omnes alias efferre.

Th. II. Sed cum hoc in una tantum fieri possit: quaritur, quanam hæc sit? Et ego quidem ostendere conabor, Germanis omnes istas virtutes inesse, & hanc igitur nationem omnibus populis jure præferri.

Th. III. Omisiss illis, quæ topica physica ratione Germaniam omnibus terris præferunt, cum terræ quoque cultu, celebrium numero urbium, copiarum & multitudine & disciplina, opulentia productorum, & incolarum tum frequentia tum divitiis sit potentissima:

statim ad illa progrediar, quæ nativas & insitas Germanorum virtutes continent.

Th. IV. Quæ quidem omnes naturæ Germanorum peculiari, animi culturæ, quæ apud illos invaluit, præclarisque imperii legibus, tanquam causis quibusdam primariis, subjici possunt.

Th. V. (1) Natura Germanus jam antiquitus ferocissimus atque invictus, qualis omnium solus populorum ad hoc tempus mansit, & climate neque durior justo, neque mollior, cum Britanno haud dubie est validissimus ac fortissimus.

Th. VI. In malis constans & laboribus impiger, summa strenuitate ac industria omnibus in rebus excellit. Inde colonorum Germanorum celerrimi & felicissimi progressus in externis terris e. g. in America septentrionali; inde omnium illarum rerum excellentia in Germania, quæ industria parantur.

Th. VII. Inter Britanni morosum ac superbum ingenium & levitatem atque nugas Galli, gravis atque sanæ mentis Germanus medium tenet, simul autem probitate & modestia peregrinis etiam cognitus est.

Th. VIII. Religionis & pietatis animum habet amantissimum.

Th. IX. Salvo amore patriæ, quem permulti, sed frustra, Germanis negare voluerunt, Germani,

omnium maxime, peregrinorum virtutes atque laudes cognoscunt.

Th. X. (II) Animi cultura vero præcipue Germaniam super omnes alias gentes tollit, siue doctrinam siue mores siue religionem spectemus.

Th. XI. Quænam est terra, ubi litteræ tum severiores, tum humaniores tam ubique coluntur, quod vel ex majori, quam apud omnes alias gentes, scriptorum numero intelligitur, atque ubi singulæ eum perfectionis gradum attigerunt? Illarum est insignis philosophia, quæ Germanorum ingenio aptissima esse videtur, hæc vero ex lingua, omni ratione perfectissima & excultissima, ornamenta sua repetunt. Quænam terra talia in omni artium genere ingenia ostendit?

Th. XII. Quænam terra ingenio atque virtuti colendæ institutis, quæ litterarum atque artium cultui profuit, magis consuluit?

Th. XIII. Germanus, infinito illo discendi studio, quo quamque rem amplectitur, non est contentus sua litteratura, sed peregrinorum quoque progressibus utitur, eorumque linguas facillime discit.

Th. XIV. Omnino proprium atque tunicum est illud, quod hodie viget studium, litteras ex natura hauriendi & ad illam accommodandi, & præsertim eas aptissimis libris omni cum populo communicandi.

Th. XV. Ex litteris autem, hac ratione cultis, cultura morum atque virtutum in vita humana consequitur.

Th. XVI. Complures per Germaniam religiones noxia vi sunt privatae communi tolerantia, ac quaque, magis magisque abusus purgata, omnem sentiendi libertatem permittit.

Th. XVII. Hac libertas, quamvis reformatione & arte typographica in Germania ipsa nata, sub Friderici II. auspiciis tamen insigniter aucta est.

Th. XVIII. (III) Constitutio denique s. leges Imperii Germanici, quibus eo inprimis distinguitur, quod singula liberae civitates, quibus consistit, sub uno capite junguntur, maximo quoque est emolumento.

Th. XIX. Cum divitiae in unam urbem capitalem non conferantur, melius per omnem nationem distribuuntur, industria excitatur, paupertas autem deminuitur.

Th. XX. Neque perturbationes vehementes internae, neque revolutiones insanae in provinciis, quae tam diversa conditione sunt, facile divulgari possunt.

Th. XXI. Cum incolae civitatis alicujus, qui a principe suo opprimuntur, alio facile se conferre possent, principes sui commodi causa bene facere ac inter se ipsos modum certum servare sunt coacti.

Th. XXII. Hac constitutio, cum illis virtutibus conjuncta, universos Germanos potentissimum atque perfectissimum reddit populum, duabus inprimis maximis Germaniae civitatibus, Austria ac Borussia, maximam vim dignitatemque in reliquis orbis terrarum regnis atque imperiis comparavit. Recte igitur bonus quisque Germanus patria sua laetatur atque superbit.

DISPUTATIO III.

D. XXV. OCT. MDCCXCIV:

H A B E N D A.

Resp. BROCKMEYER. Opp. HECHT. TOPP.

Sapientia inter omnes ordines jure
divulganda est.

Th. I. Nullam fortasse rem perperam magis intellectam calumniisque affectam, quam sapientiam inter omnes ordines divulgandam, ab omni fere tempore reperimus; cujus etiam si utilitas, quæ in singulos homines ac præsertim in ordines superiores redundat, haud negatur, tamen universis multi adhuc pernoxiam judicant.

Th. II. Aliis hujusce judicii causis omiſſis, una omnium maxime in falsis, quas plurimi de sapientia illa sibi finxerunt, notionibus inesse videntur.

Th. III. Sapientioſiorem quippe aliquem reddere, nil aliud est, quam de rebus omnibus, ad felicitatem ejus pertinentibus, veras illi tradere notionem, judicioque illius exercendo idoneum eum reddere, ut ipse tales sibi formare possit.

Th. IV. De commodis autem permagnis, ex notionum veritate omnibus in rebus percipiendis, vel solo jam de detrimento, quod errore sequi solet, convincimur.

Th. V. Quo gravior deinde res est illa, de qua in errore verſamur, & quo propius nos attingit, eo pernicioſius damnoſiusque detrimentum, indelnatum, neceſſe eſt fieri.

Th. VI. Quid autem homini, ſive ſuperiorum ordinum ſive inferiorum, felicitate ſua augenda majoris eſt momenti? Quiſquis eum igitur de rebus, eo ſpectantibus, inſtituit, erroresque aut minuit, aut, ſi fieri poteſt, eximit, bene de ipſo meretur, ſine meliori autem illa inſtitutione felix prædicari haud poteſt. Hæc jure ſapientia tribuenda eſſe, omnes intelligent.

Th. VII. Omne ſtudium homines ad bene beateque vivendum apte inſtituendi exercet denique diſcentis ingenium judiciumque; quod non magnum modo affert commodum & voluptatem, ſed vitæ futura cauſa etiam neceſſarium eſt, cum unicuique accidere poſſit, ut conſilio egeat, qua in conditione niſi judicio ſuo uti didiciſſet, valde infelix eſſet.

Th. VIII. Hæc omnia vero tam inferioribus, quam ſuperioribus ordinibus pariter ſunt neceſſaria.

Th. IX. Paucis his propoſitis valde optandum eſſe mihi videtur, ut omnibus in civitatibus, ſicuti in Germania, almae veritatis lux omnes paulatim inter hominum ordines divulgetur; perfectio enim humani generis major haud dubio illam ſequeretur.

DISPUTATIO IV.

D. I. Nov. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. BRAUNSCHWEIG. Opp. NETTMANN. DELIUS.

Semper fore bella.

Th. I. Omnes homines discrepant & corpore, & animo.

Th. II. Quod ita esse & fuisse in omnibus terrarum partibus, historia docet.

Th. III. Hominibus vero discrepantibus animo, necesse est, ut discrepent actionibus, cum in agendo animo nostro ducamur.

Th. IV. Inter varie agentes autem homines nonnulli esse debent, qui ob animi dissonantiam ad inimicitias & denique ad certamen perducantur.

Th. V. Bellum porro nil est, nisi certamen, nationum duarum sive duarum partium ex dissonantia ortum.

Th. VI. Nunquam vero etiam ad animi consonantiam neque partes singulae nationis alicujus, neque totae nationes perducentur. Nam

Th. VII. (I) Bella utilia sint necesse est, cum Deus hucusque bella sapius cruentissima permiserit.

Th. VIII. (II) Varia rerum cognitio, ergoque dissonantia animi ad veritatem plenius, eruendam, firmiterque stabiliendam, & igitur ad perfectionem nos ducit.

Th. IX. (III) Naturæ humanæ in rebus cognoscendis dissonantia est innata, quia unusquisque varias notiones accipit. Quod ut fiat necesse est, cum unusquisque homo & animi, & mentis viribus discrepet, & alium in rerum natura occupet locum, unde mundum contempletur.

Th. X. Quod quidam istas humani generis perturbationes cum sapientia & bonitate divina minus convenire putant, eo ipso tollitur. Neque enim veræ perturbationes sunt ista bella, sed tantummodo videntur: revera autem ad excitandum humanum genus illiusque culturam & perfectionem augendam instituta sunt.

Th. XI. Semper ergo erunt bella.

DISPUTATIO V.

(ex Respondentium ordine VI.)

D. VIII. NOV. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. HECHT. Opp. BEKUHRs. SPILLEKE.

Quænam causæ interitum regni Persici
effecerunt?

Th. I. Si historiam & instituta regni Persici confulamus, multa in eis inuenimus, quæ interitum regni Persici effecerint & acceleraverint.

Th. II. Magnificentia enim, mollitia, diuitiæ antiquos mores corruperant & Persas effeminatos & inertes reddiderant.

Th. III. Disciplina & exercitatio militaris negligebantur, & pro exercitu firmo, laboribus corroborato & exercitato, multitudo rudis, magnis cum farcinis & plerumque sine habili & forti duce inueniebatur.

Th. IV. Superbia regum in subditos & fervilis veneratio & obedientia subditorum horum animum infregit, patriæque studium & amorem in reges imminuit.

- Th. V.* Reges male educabantur, & plerumque aut ad imperandum non apti erant, aut nullum studium rebus administrandis impendebant.
- Th. VI.* Primi honores non meritis viris dabantur, sed hominibus parum sæpe idoneis, si regi modo aut regiæ familiæ placebant.
- Th. VII.* Sæpe viri bene meriti, perfidiæ accusati & calumniis affecti, coacti sunt rebellare.
- Th. VIII.* Duces sæpe propter imperata coacti sunt occasionem rei bene gerendæ negligere.
- Th. IX.* Cum multæ imperii Persici remotæ provinciæ essent, præfecti in multos annos magna cum potestate in eas mittebantur, qui revocati non raro rebellabant.
- Th. X.* Præfecti, luxuriam & magnificentiam regis imitati, ut eam sustinere possent, provincias vexabant & opprimebant.
- Th. XI.* Imperium Persicum, bellis amplificatum, ex pluribus gentibus consistebat, quæ secundum suas leges vivebant, & quorum non multum intererat imperium conservare.
- Th. XII.* Etiam fides, sæpe non servata, interitum Persici regni adjuvabat.

DISPUTATIO VI.

(ex Respondentium ordine V.)

D. XV. NOV. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. HOPPE. Opp. HEINEKE. OPPERMANN.

Theses quædam de Musica.

- Th. I.** **E**t si origines illius incertæ sunt: jure tamen Musica ad inventa solertiæ humanæ antiquissima refertur.
- Th. II.** Tota autem illa ars in imitatione naturæ mihi videtur posita, ad sensus certos certis sonis sive exprimendos, sive excitandos & alendos & placandos.
- Th. III.** Est autem alia naturalis, alia artificialis; alia vocalis, alia instrumentalis.
- Th. IV.** Naturalis omnes sonos comprehendit, qui natura ipsa, v. c. flamine venti, strepitu aquarum, vocibus animalium, imprimis cantu avium, producuntur. Atque hæc sine dubio artificiali dedit originem.
- Th. V.** Artificialis sonos, undique perceptos, certis regulis & præceptis comprehendit: atque
- Th. VI.** Vel vocem humanam ad illa præcepta excollit & conformat, quæ vocalis;
- Th. VII.** Vel instrumenta fingit & adhibet, quibus sonos his præceptis consentaneos eliciat, quæ Musica instrumentalis vocatur.

- Th. VIII.** Musica autem omnis, si satis perfecta est, magnam vim habet in animos commovendos, atque adeo in mores tam singulorum hominum, quam populorum universorum fingendos.
- Th. IX.** Inprimis ubi cum eloquentia & poësi, hæc autem cum religione, amore patriæ, rebusque aliis, mentem humanam propius tangentibus, conjunguntur.
- Th. X.** Ex Musica, qualis in populo quodam floret, aut ab illo adamatur, ad illius ingenium, culturam & mores conclusio fieri potest.
- Th. XI.** Sic Italorum, Germanorum, Anglorum, Gallorum Musica, ut ii ipsi inter se populi, variis modis differt.
- Th. XII.** Italorum suavis est, modulaminum plena, quæ voluptati aurium excitandæ inserviunt, & teneris sensibus alendis apta.
- Th. XIII.** Germanorum simplicitatem veritatemque, omnes naturæ partes persequendo, maxime amat; unde recentiores quidam, discedere visî, sed ipso nationis nostræ ingenio eodem reduci-mur.
- Th. XIV.** Anglorum, etsi suavitatem Italorum hospitio excepiisse videtur, constantiam tamen, firmitatem & heroicum quid spirat.
- Th. XV.** Gallorum Musica, ex ipso hominum Gallicorum (e. g. Russæi) judicio, levissima est, mera superficies, mollis ac sine nervis. Quæ an in posterum alia futura sit, tempus docebit.
- Th. XVI.** Hæc omnia cum ingenio moribusque horum populorum maxime conveniunt, ut numeri Lydii, Jonici, Dorici &c. apud veteres.
- Th. XVII.** Tanta autem cum vis sit Musica tantaque cum animis moribusque hominum concordia: gravissima omnino res esse videtur, ab iis, qui homines aut regunt, aut instituunt, minime negligenda.

DISPUTATIO VII.

D. XXII. NOV. MDCCXCIV.

HABENDA.

Resp. NETTMANN. OPP. FAHRENHOLZ. SCHEELER.

An bonum sit, amico nimis cedere?

Th. I. Amicitia nihil aliud est, nisi fœdus, ex animorum consensu natum, cum eo, quocum intima familiaritate sumus conjuncti.

Th. II. Id fœdus autem minime amicitiam appellare possumus, quod cupiditatibus, utilitate atque avaritia nititur, etsi nostris etiam sæpe temporibus hujus generis iniri fœdera videmus.

Th. III. Unum tantum vitium afferam, quod in vera etiam amicitia facienda sæpissime tamen admittitur, ut amicis nimis cedamus.

Th. IV. Amico, quem maxime amare i. e. felicitatem illius augere debuissimus, ejus vitii indulgendo atque ea negligendo, nocemus.

Th. V. Quod eo facilius fieri solet, si eum non docemus, aut illi vitia, si quid perversi commisit, non ob oculos ponimus.

Th. VI. Amicus ex nostra consuetudine nil utilitatis accipiet, si aut vitii ejus favemus, aut eum ipsum indulgentius habemus.

Th. VII. Id vero fit aut ex nimis magno in amicum amore, qui amicum inculpare metuit, aut ex longa consuetudine, quæ vitia amici non animadvertere solet.

Th. VIII. Denique eam ob causam in amicitia conjungenda a nimia illa facilitate cavendum nobis esse puto, quia incredibile est, quantam vim amici mores, animus, atque consuetudo in amicum habeant; ut, si amicum vitiorum causa non reprehendimus, eundem in posterum sapius iisdem vitiis obstringamus, cum ea, quæ semel commisimus, nisi retinemus, repetere facillimum sit.

DISPUTATIO VIII.

D. XXIX. Nov. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. BEKUHRS. Opp. BROCKMEYER. SCHEELE II.

Homo naturae bonus, an malus dici
possit?

Th. I. Hominem naturae bonum theologi quidam, praecipue veteres, concedere nolunt: sed, si illius naturam paulo subtilius inquiramus, hominem, sicut e manu creatoris exiit, revera bonum inveniemus.

Th. II. Homo naturae bonus est, i. e. omnes ejus indoles, vires, instinctus & facultates, si fontem spectemus, sunt purae & nullo malo commixtae.

Th. III. Ideoque omnia ista ex instituto divini bonum aliquid habent, quo tendant ad salutem & singulorum & univerforum augendam.

Th. IV. Ad felicitatem homo tendit: quam si felicitate aliorum se assequi posse satis intelligeret, paratum eum videremus ad omnes felices reddendos neminique nocendum.

Th. V. Homo malum non mali causa vult: sed ignorantia partim, cum ea, quae mala sunt,

bona putet, partim inscitia & imprudentia, cum festinanter nimium ad actiones rapiatur, priusquam meditari potuit, an ea, quæ suscipere voluit, mala, an bona sint.

Th. VI. Homines quidem multos malos videmus: at vero indoles congenita viresque naturales non in culpa sunt, sed educatio, mala exempla & aliæ res hominem malum reddiderunt.

Th. VII. Homo enim natura malus nunquam posset aliquid bonum discere aut peragere.

Th. VIII. Hominis indoles, ut videmus, cum ad bonum, tum ad malum proclivis est: sed educatio, clima, religio, civitas &c. in indolem sive corrumpendam sive perficiendam per magnam vim habent. Si male excolitur homo, malus fit; si bene, bonus.

Th. IX. Non semper autem educatio & mala exempla in culpa sunt. Nam homines judicant ex notionibus acceptis, & agunt ex judiciis: notionem autem ideoque etiam judicia & actiones maxima ex parte a conditionibus & aliis rebus, haud in potestate nostra sitis, ideoque minime a nostro arbitrio, pendent.

Th. X. Sed animus tamen maximam vim habet in actiones nostras, quamquam is ipse nonnullis in rebus a corpore, tam variis mutationibus subjecto, pendere intelligitur.

DISPUTATIO IX.

D. VI. DEC. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. SPILLEKE. Opp. BRAUNSCHWEIG. HEYER.

Vitam urbanam rusticæ maxime esse
preferendam.

Th. I. Vitam urbanam & rusticam maxime inter se differre, facile apparet: illam autem valde huic esse preferendam, paucis argumentis demonstrare studebo.

Th. II. Præcipuum est commodum, quod homines plerumque in urbe facilius excoluntur, quam in agro; quod variis de causis fieri solet.

Th. III. In urbe conveniunt artium atque litterarum periti, qui suam aliis scientiam imperiunt.

Th. IV. In majoribus præcipue urbibus commercio & negotiis homines congregantur, quorum consuetudine vita & mores perficiuntur.

Th. V. Eodem thesauri, omnium rerum copia, atque ex omni genere optima & rarissima quæque comportantur.

Th. VI. Litterarum studio doctorum virorum, ibi viventium, consuetudo non parvam affert utilitatem.

Th. VII. Libros & omnia studiorum subsidia litterarum amans in urbibus sibi facillime comparare potest.

Th. VIII. Non solum autem animo perficiendo ibi consulitur, verum etiam varias habent iucunditates vitæ, quibus rus omnino caret.

Th. IX. Eo referenda sunt spectacula, conventus & circuli hominum, voluptates musicæ, & hujus generis alia.

Th. X. Ad animum reficiendum horti amœni, ornamenta publica & privata, viæ, arboribus confitæ, & alia adsunt, quæ in agro rarissime inveniuntur.

Th. XI. Aedificia pulchra oculos nostros ibi delectant, cum contra casæ labefactæ in agris sæpius adspectu tristissimo oculos nostros lædant.

Th. XII. Id quoque magnum est commodum, quod & pace & bello a latronum & hostium impetu urbes sint tutiores, & quod illis magis plerumque parcatur, quam agro.

Th. XIII. Vita urbana ergo rusticæ est præferenda.

DISPUTATIO X.

D. XIII. DEC. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. OPPERMANN. Opp. HOPPE. TOPP.

Linguae multum ad animum humanum
excolendum conferre.

Th. I. Linguae multum ad excolendum animum humanum conferre, non solum ex natura rei ipsius, sed etiam ex veterum, recentiorumque temporum exemplis probare possumus.

Th. II. Lingua ideas animi exprimit. Quo plura et meliora verba igitur linguae insunt, eo plures perfectioresque ideas animi exprimere possumus. Ergo lingua primum perfecta esse debet, priusquam animi cultura perfectior cogitari potest.

Th. III. Hoc nos etiam exempla et veterum, et recentiorum temporum docent.

Th. IV. Nam in historia antiqua invenimus, ipsos adeo etiam Romanos et Graecos, eo tempore, quo lingua eorum adhuc rudis et imperfecta fuit, etiam animi cultura imperfe-

Etos fuisse; paulatim vero, lingua eorum magis excolta, ingenio etiam iudicioque valuisse magis, et litterarum artiumque laude floruisse.

Th. V. Etiam majores nostri, veteres Germani, cum lingua eorum rudis, male sonans et imperfecta esset, nec ingenio tam exculi erant, ut eorum posteris; et nos ipsi, qui linguae perficiendae semper studemus, eo magis nostros homines exultos fuisse videmus, quo perfectior quovis tempore eorum lingua fuit.

Th. VI. Adhuc praesenti tempore nationes sunt, quarum lingua sic rudis et imperfecta est, ut paucas modo ideas illorum animis ingerat, qui eandem etiam ob causam incultissimi sunt.

Th. VII. Ex quo genere multi barbari populi Asiae, Africae et Americae sunt, e. g. ii, qui Caleforniam et Terram Ignis incolunt, animoque tam bruti, lingua autem tam pauperes sunt, ut in infimis humanitatis gradibus consistere videantur.

Th. VIII. Cum igitur lingua multum ad excolendum animum nostrum conferat, studium maximum nobis est adhibendum, ut eam quam diligentissime excolamus, quia animus non tantam perfectionem assequitur, nisi lingua prius excolta sit.

DISPUTATIO XI.

D. XX. DEC. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. SCHEELE I. Opp. HECHT. DELIUS.

Nimiam Sapientiam non perturbationes
gentium producere.

Th. I. Multi homines, inprimis inperiti ac rerum ignari, nimiam Sapientiam citius aut tardius perturbationes gentium producere querunt, sed, re bene perponderata, contrarium videmus.

Th. II. Sapientia nihil aliud vult, quam ut ex rectis et claris notionibus agamus.

Th. III. Ex rectis et claris notionibus bonae actiones sequantur necesse est.

Th. IV. Homo excultus verisque de felicitate humana notionibus imbutus rationi obtemperabit, nihil nisi certo consilio faciet, sensibus non obediet, sed cupiditates coercebit, quas, maxima ex parte, causas perturbationum publicarum esse, infitari nequimus.

Th. V. Qui vero ignorantia, aut erroribus occaecatus, aut cupiditatibus impeditus verum cer-

nerē non potest, is talia aget, quae cum lege naturae non congruunt. Nam omnis erroris causa et genetrix ignorantia est.

Th. VI. Qui notionibus autem vitam regentibus, verisque agendi principiis caret, facile ab alio vitio ad aliud perducī potest, ac sibi non constat.

Th. VII. Eamque ob causam multitudo imperita et inexculsa, sensibus et cupiditatibus dedita, non raro prima fuit, quae rebellaret, quod fere omnes probant turbae publicae, quarum historia facit mentionem.

Th. VIII. Sapientiae vitio vertitur, hominem, si quando plures accepit notiones, majusque jam ipsi cogitandi ac sentiendi apertum est spatium, tunc omnes molestias ac mala civitatis perspicere posse, et sentire gravius; sed idem eadem constantius perferre discet.

Th. IX. Illud autem eo magis contenditur, quia nostris temporibus Francogalli, in summam perverfitatem delapsi, a multis autem sapientes habiti, hoc probare videntur. Quis vero jure praedicare potest eorum sapientiam?

Th. X. Homo educatione institutioneque excolitur, quibus ubi non optime cautum est, ibi nec sapientes et bonos cives, quibus tranquillitas reipublicae nititur, offendimus. Num vero videmus, Francogallos optimas scholas habuisse, et adhuc habere?

Th. XI. Qui vero ignorantia aut erroribus occidit, aut cupiditatibus impeditur, verum car-

DISPUTATIO XII.

D. X. JAN. MDCCXCV.

H A B E N D A.

Resp. SCHEELE. II. Opp. NETTMANN. SPILLEKE.

Multum conferre itinera ad juvenem
excolendum.

Th. I. Nonnulli sunt, qui itinera juveni emolumento esse negent: at vero, re ex omnibus partibus bene perspecta, contrarium omnino apparet.

Th. II. Ad sententiam suam probandam afferre isti solent, juvenes ea, quae itineribus faciendis discant, ex itinerum descriptionibus discere posse. Hos autem minus judicare sapienter, paucis demonstrare studebo.

Th. III. Juvenis ipse itineribus clariores distinctioresque notiones de omnibus rebus sibi parabit, quam ex libris acquirere potest.

Th. IV. Multa sibi utilia ex consuetudine multorum hominum, quibuscum conversandi occasionem habet, percipiet.

Th. V. Meliorem imprimis hominum cognitionem, moribus eorum usu ipso observandis, sibi com-

parabit; quod quidem ad juvenem excolendum
perficiendumque magni momenti est.

Th. VI. Variis per varias regiones, quas transit,
moribus comparandis, judicium maxime acuit
et meliora discernere discit.

Th. VII. Juvenis itinera ipse si facit, sibi meliorem
perfectioremque cognitionem regionum, agro-
rum, urbium, legum, institutorum, incola-
rum sibi parabit, quam ex libris haurire ipsi
licet.

Th. VIII. Omnia autem, quæ sic ipse videt et au-
dit, magis animum ejus movebunt et facilius
memoriæ inhaerebunt, quam quæ libris modo
legit; atque ita optima Historiæ, Geographiæ,
Physicæ, aliarumque artium pars erunt, quæ
reliquis earundem artium partibus fundamenti
loco esse possint.

Th. IX. Valetudini suæ optime consulat, corpus
corroborabit; imprimis si pedibus itinera facit.

Th. X. Hisce præmissis, itinera juveni ingentem
utilitatem afferre, jure me contendere posse exi-
stimo.

DISPUTATIO XIII.

D. XVII. JAN. MDCCXC V.

H A B E N D A.

Resp. HEYER. Opp. BERUHR. OFFERMANN.

Monachus nunc Germaniae obest.

- Th. I.** Olim monachi magnae utilitati Germaniae fuerunt; erant enim cultores agrorum, praecipue hominum, paene soli litteris dediti &c.
- Th. II.** Nunc vero nullas fere illarum virtutum possident, sed locum illarum multa vitia occupaverunt; certe ob istas antiquorum temporum causas non amplius sunt necessarii.
- Th. III.** Impedire contra meliorem cognitionem religionis, & superstitionem propagare student.
- Th. IV.** Monachi mendicantes aliis oneri sunt ob frequentes pecuniarum collectiones.
- Th. V.** Alii ditiores possident optimas fertilissimasque terras, ex quibus multo major numerus hominum utilium nutriri posset.
- Th. VI.** Et tamen aliorum ordinum onera et tributa cum illis haud ferunt, praecipue in catholicis regionibus, ubi saepe ab omnibus fere tributis liberati sunt.

Th. VII. Monasteriis multa millia utilium et bonorum hominum reipublicæ eripiuntur.

Th. VIII. Monasteria, ut jurisconsulti loquuntur, statum in statu formant; nam se non obedientiam principi debere putant, sed Pontifici maximo, in regionibus certe pure catholicis.

Th. IX. Et ipsa vita monastica est tristissima, quia tribus indissolubilibus, quas vocant, votis ab omnibus pæne jucunditatibus vitæ abstrahuntur, si regulam, id est, leges ordinis strenue servant.

Th. X. Paucis his thesibus demonstratum mihi esse videtur, nostro seculo nullum amplius usum Germaniæ præstare.

DISPUTATIO XIV.

D. XXIV. JAN. *) MDCCXCV.

H A B E N D A.

Resp. TOPP. Opp. HEINEKE. SCHEELE I.

Fridericum secundum fuisse patrem
populi.

Th. I. Qui salutem populi vel creare, vel augere studet, illum sane patrem ejus nominari posse credo: Fridericum vero secundum hoc fecisse, paucis his probare studebo.

Th. II. Omnibus Fridericus modis cives regni sui fovit, excitavit, tuitus est, defendit.

Th. III. Inprimis etiam eos, qui artes, opificia, agriculturam exercent, qui ab aliis sæpe negliguntur.

Th. IV. Jus judiciumque omnibus, sive principibus, sive rusticis æquum esse voluit.

Th. V. In vectigalibus imponendis illud inprimis cavet, ne pauperiores rebus necessariis justo gravius onerandis premerentur.

Th. VI. Nulla re magis lætabatur, quam prosperitate et opulentia civium: tantum aberat, ut illis invideret, aut partem divitiarum, novis

*) Olim Friderici II. Natalitia.

redituum nominibus excogitandis, ad se rapere vellet.

Th. VII. Ad istas potius civium opes augendas non modo verborum, laudum, privilegiorum excitamentis usus est, quibus illorum sollertiam diligentiamque acueret, sed immensas etiam quotannis summas impendit ad artes perficiendas, opera publica extruenda, res publice utiles, sed privatis nimium sumtuosas, exsequendas &c.

Th. VIII. Inopia frumenti, gravique annona horrea publica aperuit; cum anni autem abundarent, frugibus cœmendis illa rursus implevit, ita media quædam rerum pretia, omnibus salutaria, semper servavit.

Th. IX. Ipsis adeo in bellis sapientia et parsimonia providit, ne cives, præter communia belli incommoda, vectigalibus extraordinariis molestantur, et, quæ hostes eripuerunt, compensavit.

Th. X. Bellis compositis, nihil prius habuit, quam ut omnia, bello vastata, restitueret; domos ædificavit, urbes murosque refecit, equos agricolis gratis distribuit.

Th. XI. Lentus ad puniendum, nec, nisi re postulante, severus justissimam bonis civibus libertatem concessit.

Th. XII. Quibus omnibus rebus non timorem solum et reverentiam, sed summum etiam amorem sibi conciliavit, recteque pater populi sui et habitus et dictus est.

DISPUTATIO XV.

D. XXXI. JAN. MDCCXCV.

HABENDA.

Resp. DELIUS. Opp. FAHRENHOLZ. SCHEELÉ II.

Francogallorum Revolutionem, quam nominamus, aliis populis utilissimam futuram.

Th. I. Est nullum malum, etiamsi perniciosissimum, ex quo non aliqua, eaque magna saepe, commoda ad nos redundent. Cujus rei de veritate quotidie persuademur.

Th. II. Nam tristissima etiam mala, e. c. bella, terræ motus, atque alia magnam utilitatem alia ex parte nobis comparant. Sic etiam Francogallorum Revolutio: cujus utilitatem, in alios inde populos redundantem, breviter exponere studebo.

Th. III. Francogallorum Revolutio magnam habet vim in principum actiones regendas. Fatis enim hujus civitatis permoti cautius agent, omnia omittent, quibus animos subditorum fuorum sibi infestos reddere possent, eoque magis favorem civium sibi conciliare studebunt.

Th. IV. Porro intelligent, quo tandem furoris progredi possit populus quocumque modo oppressus. Exemplum Francogallorum infelicissimum quotidie ante oculos eorum versabitur, eosque ad mores suos emolliendos et regnum bonis institutis confirmandum excitabit.

Th. V. Multum vero etiam valebit Francogallorum

Revolutio in animos subditorum ad sanam mentem perducendos, qui, de cædibus, rapinis, et crudelitate Francogallorum quotidie audientes, eo magis magisque intelligent, quam felices sint in civitate bene instituta, ubi tuti ab injuriis vitam peragere possint.

Th. VI. Quæ omnia eos incitabunt ad patriæ principisque amorem. Hac recordatione permoti omnia ad salutem civitatis, in qua vivunt, conferre studebunt.

Th. VII. Hoc etiam amorem eorum in Deum adjuvabit, cui quidem, si statum civitatis Francogallorum reputent, summas agent gratias, quod eos sub bono principe vivere sinat.

Th. VIII. Multi magni viri ex hac Revolutione sunt orti, qui, nisi hæc civitatis mutatio accidisset, forsan numquam tam clari fuissent.

Th. IX. Revolutio Francogallorum multum contulit ad notiones nostras de libertate, æqualitate, principatu, tyrannide, multisque rebus aliis gravissimis perlustrandas et emendandas.

Th. X. Nobilitas honorem, solis majoribus debitum, facile amitti posse intelliget, nisi virtutibus et bene meritis eodem digna sit.

Th. XI. Cædes, rapinæ, ceteraque crudeliter facta, quæ quotidie a Francogallis exercentur, nobis probant, quam populus excultus etiam degenerare, et quo licentiæ et turpitudinis delabi possit; maxime vero illud, plebem rebus administrandis haud esse aptam.

Th. XII. Sine dubio adhuc multo plura commoda hujus Revolutionis restant, quæ nondum satis cernimus, sed intelligemus profecto salutares etiam istos aliquando illius effectus, semperque magis de utilitate ejus nobis persuadebimus.

Th. XIII. Quæ omnia mihi satis probare videntur magnam Revolutionis Francogallorum utilitatem, ad alios inde populos redundantem.

DISPUTATIO XVI.

D. VII. FEBR. MDCCXCV.

H A B E N D A.

Resp. HEINERE. Opp. BROCKMEYER. HEYER.

In eam barbariem, in quam Græci olim
ac Romani, nos recidere non posse.

Th. I. Sunt nostris quidem diebus, qui timeant, ne & corruptio temporum nostrorum univèrsa, & inprimis Francogallorum revolutio perniciosissima nos in eandem barbariem rejiciat, quæ Græcorum Romanorumque secula, tam exulta & erudita illa quidem, infecuta est: sed falsum & mancum tamen videtur horum judicium.

Th. II. Re enim ab omnibus partibus satis perspecta, contrarium apparere puto. Ad quod vero perspicue intelligendum & conditio temporis utriusque, & causæ, quæ illam barbariem effecerunt, considerandæ videntur.

Th. III. Cultura hominum, ut historia docet, semper a meridie & oriente ad septentrionem & occidentem progressa, antiquissimis temporibus, si quos Asiæ & Africa populos excipiamus, præcipue inter Græcos & Romanos diutius aliquanto floruit.

Th. IV. Valde igitur exiguus tum erat numerus exculturarum nationum, & eæ, quæ jamjam excoli cœperant, ob rudes ceteras, etiam facile in conditionem pristinam relapsi sunt.

Th. V. Sed præter tempora imperfecta etiam multa causæ & in civitatibus ipsis, & externæ aderant, quæ barbariem revocare poterant.

Th. VI. Ad illas præcipue referendæ sunt commutatio continua imperii, abusus sensim sensimque prævalentes, imprimis in republica Romana, malæ rationes reddituum & expensorum, profusiones immensæ, tributa gravissima, factiones &c. ante omnia denique oppressio inferiorum ordinum, quæ sæpe discordias civiles excitans perturbationem universam præparavit.

Th. VII. Subsidia porro ad excolendos animos tum maxime pauca & imperfecta erant. Nam & instituta ad erudiendos homines, præcipue scholæ inferiores, doctores præceptoresque publici, & libri, quorum omnis generis & pro ingenio omnium concinnatorum nobis innumerabilis multitudo adest, tum fere plane deerant. Ergo culturæ maxima impedimenta obstabant. Nam

Th. VIII. Ob librorum defectum imprimis & præcipue principes tantum civitatis sibi perfectiorem litterarum cognitionem comparare potuerunt, & populi maxima pars inculta manebat.

Th. IX. Sed præter causas has internas etiam cultura tunc temporis eo maxime impediatur, quod tum multis utilissimis ei & necessariis artibus carebat, inter quas modo ex multis aliis artem scribendi, typographiam, papyri nostri confectioem nominare liceat, quæ ad litteras propagandas & in omnem posteritatem conservandas mirum in modum valent.

Th. X. Imprimis vero interitum litteris inter Græcos & Romanos attulerunt & continua bella atrocissima, & præcipue populationes barbarorum ex terris septentrionalibus advenientium.

Th. XI. Cum hodie & hæc allatæ causæ absint, & optima subsidia ad litteras propagandas adiant: profecto barbaries illa non redibit.

DISPUTATIO XVII.

D. XIV. FEBR. MDCCXCV:

H A B E N D A.

Resp. FAHRENHOLZ. Opp. BRAUNSCHWEIG. TOFF.

Corpora cœlestia extra terram quoque
sunt habitata.

- Th. I.* Observationibus computationibusque vetusto illo errore, qui terram universi centrum & caput stauabat, jam dudum sublato, atque omnibus in ea re plane consentientibus, cetera corpora cœlestia, etsi luce & motu aliquam vim habeant in terram, alias etiam ob causas adesse: recte jam, quænam illæ sint causæ? quæritur.
- Th. II.* Omnia autem, ut opinor, ad hanc usam quæstionem redeunt: an cetera cœli astra sint habitata?
- Th. III.* In quo quidem aspectus si concederetur, brevissima omnino hæc foret rei expediendæ ratio. Quod cum in ipso nostræ terræ proximo sidere, Luna, vel optimis etiam instrumentis fieri non possit, argumentationibus contenti esse debemus, satis tamen gravibus ad summam rei similitudinem nobis comparandam, ideoque ad certam rei scientiam supplendam.
- Th. IV.* Lunam primum, cujus superficiem, ob minimam a terra distantiam, adjuvantibus telescopiis, optime novimus, luce, motione, certis temporis periodis, superficiæ varietate, quippe

quæ maribus, stagnis, montibus, planitiis, vallibus, crateribus distincta est, nostræ terræ simillimam videmus, eamque plane conditionem habere, ut possit habitari.

Th. V. Ex quo recte colligere licet, re vera illam esse habitatam: omnes enim rationes illud probant, instrumentis modo nostris evidentiæ rei vestigia nondum reperimus.

Th. VI. Deinde in planetis ceterisque systematis nostri solaris corporibus eandem reperimus corporum obscuritatem, lucem autem a sole cum illis communicatam, & inde ad nos remissam, similem porro motum, & annum & diurnum, similemque superficiæ inæqualitatem: ex quibus omnibus recte colligimus, illa etiam corpora esse habitata.

Th. VII. Paulo difficilior in Sole demonstrandi esset ratio: at vero, si meliora de caloris lucisque natura edocti, modo non igni nostro similem illum putemus, tanto probabilius erit, corpus tam ingens tamque præclarum multo etiam magis, quam cetera minora & imperfectiora, esse habitatum. Idque de uno hoc sole satis perspectum, de omnibus sive solibus sive stellis valebit.

Th. VIII. Atque idem multo magis etiam intelligetur, si contrarium disputandi causa ponamus. Nullis enim illud argumentis idoneis confirmari potest.

Th. IX. Etenim naturæ non convenit, ut astra illa tam infinitæ magnitudinis, tam variæ formæ, tantæque a nobis distantia, nullo alio consilio creata sint, quam ut exiguam hancce terram moveant & illustrent.

Th. X. Quis autem corporum illorum ingentium nudam sterilitatem, cum prodigam hanc terræ nostræ fecunditatem viderit, credere potest?

DISPUTATIO XVIII.

D. XXI. FEBR. MDCCXCV.

HABENDA.

Resp. BROCKMEYER. Opp. HOPPE. DELIUS.

Civitati bene institutæ ordinum diversitas insit necesse est.

Th. I. Quo verioribus de rerum natura notionibus, perfectiorique illius omnino cognitione gaudemus: eo magis persuademur, in omnibus vel minimis etiam rebus inesse quandam varietatem, & nunquam inveniri quidquam, quod alteri cuidam plane æquale sit.

Th. II. Eadem hac varietate naturam in bonis & corporis & animi humani dispartendis usam fuisse, & sic ipsam fundamenta diversorum jessisse ordinum, facile reperimus; ex quo, sequentia inprimis si argumenta accesserint, ad necessitatem diversorum in civitate ordinum recte concludimus.

Th. III. Cum enim negotia muneraque reipublicæ pro virium sapientiæque impendio, proque rerum ipsarum dignitate & gravitate sint diversissima: etiam commoda inde nata, inter quæ ordines illi recte referuntur, varia sint necesse est.

Th. IV. Quis enim injustus adeo rerum æstimator, sui que ipsius commodi adeo esset imme-

mor, ut virum bene de civibus meritum non majori æstimatione, honore ac præmiis digniorem putaret, quam illum, qui aut viribus, aut voluntate patriæ salutem augendi careret?

Th. V. Quod quidem, ut simplicissimum idem est ac gravissimum, omnibus populis maxime perspicuum fuisse, historia omnium fere civitatum & conditarum & perfectarum fatis nos docet.

Th. VI. Vires nempe & corporis & animi, ingenium ac judicium apud omnes populos auctoritatem, reverentiam, fiduciam ac obedientiam protulerunt.

Th. VII. His autem omnibus ad leges, ideoque ad civitates ipsas conservandas minime careri potest.

Th. VIII. Nam, si respublica ad mala impedienda pœnis, & ad bona augenda incitamentis, præmiis & institutis eget: hominibus opus est, qui leges tueantur, & hi auctoritate aliis necessario antecedere debent.

Th. IX. Magna præterea vitæ humanæ commoda, magnæ jucunditates, multa ac dulcissima reverentiæ & amoris vincula, magna pars publicæ tranquillitatis, securitatis, industriæ, opulentia, honestatis etiam & urbanitatis ex eadem hac diversitate in nos redundant.

Th. X. Quorum omnium gravitas eo magis patet, si Galliam respicimus, quæ, ut omnibus fere commodis civitatis bene instituta, hisce etiam, æqualitate omnium introducta, eget, semperque egebit, nisi ad quandam, legibus quidem bonis coërcitam, ordinum diversitatem revertatur.

DISPUTATIO XIX.

D. XXVIII. FEBR. MDCCXCV.

H A B E N D A.

Resp. BRAUNSCHWEIG. Opp. HECHT. SPILLEKE.

A disciplinis colendis linguarum studium
haud alienum esse debet.

Th. I. Finis omnium, & disciplinarum & linguarum, quas discimus, est veritas plenius meliusque perspicienda.

Th. II. Cum igitur disciplinae et linguae nos perducant ad veritatem: tanto melius certiusque eo perveniemus, quanto magis in utrisque simul progressi sumus.

Th. III. Si vero linguarum studium negligimus, & minime operam illi navamus, & nos, & alios haud parvo detrimento afficimus.

Th. IV. 1) Qui studet litteris, maxima ex parte verborum, aut linguae ope excoli debet; verbis vero multis notiones falsas subjiciet, si verba aut linguam ipsam neglexerit. Quae cum ita sint, etiam rem non satis recte & distincte intelliget.

Th. V. Qui hoc igitur studium non persequitur, multa sane impedimenta discendi inveniet.

Th. VI. Porro sine illo studio ingenii acumen non satis exercetur, quod eligendis & distinguendis verbis autem maxime obtinetur.

Th. VII. 2) Maxima cognitionis nostrae utilitas in eo consistit, ut aliis eandem tradere conemur.

Th. VIII. Si vero nostra cognitio aliis impertiri, eaque ab aliis concipi debet, bene expressa sit verbis necesse est.

Th. IX. Si vero linguis studemus, h. e. si nobis quam plurima distincta verba colligimus, tunc semper ex collectis verba optima & aptissima sumere, & efficere poterimus, ita ut dicta nostra etiam ab aliis facile intelligantur.

Th. X. Si denique disciplinis adjungimus studium linguarum, h. e. si cognita ipsa vario modo verbis exprimere conamur, tunc etiam, cum copia verborum aucta, rerum augebitur cognitio, & rem a pluribus partibus inspicimus.

DISPUTATIO XX.

(ex Respondentium ordine XXI.)

D. VII. MART. MDCCXCV.

H A B E N D A.

Resp. HECHT. Opp. NETTMANN. OPPERMANN.

Ciceronem optime de Philosophia
etiam esse meritum.

Th. I. **M**ulti fuerunt, qui Ciceronem magnum philosophum putarent; alii vero eloquentiam illius philosophiæ nocuisse crediderunt: sed, re bene perspecta, inuenimus, Ciceronem optime etiam de philosophia excolenda meruisse.

Th. II. Cicero eo tempore natus erat, quo græcæ artes & litteræ florebant, & philosophia græca sola fere maxima auctoritate valebat.

Th. III. Philosophiæ hoc tempore pene soli diuites & principes civitatis vacarunt, qui in philosophando, aut in scribendis libris græca lingua usi sunt, vernaculam autem linguam & cives suos excolendos neglexerunt.

Th. IV. Cicero ab ineunte ætate usque ad senectutem optima & utilissima quæque scripta græcorum philosophorum in linguam vernaculam vertere eorumque bona cum civibus suis communicare studuit.

Th. V. Multas difficultates, philosophiæ e. g. vituperationes, egestatem linguæ &c. feliciter vicit, eoque effecit, ut linguam latinam

copiosorem post se relinqueret, ipsaque cum
græca æmularetur.

Th. VI. Hoc exemplo multos magnos viros ex-
citavit, ut eodem modo, pervulgandis litteris,
de Romanis bene mererentur, posterique
majores profectus in illis facere possent.

Th. VII. Omnia scripta græcorum philosopho-
rum, & omnia scitu digna civibus suis lin-
gua vernacula idque elegantissime tradidit.

Th. VIII. Ipsius diligentia debemus, quod &
opiniones & præcepta & scripta græcorum
philosophorum, ab eo illustrata, ex illius
scriptis noscere possimus. In historia philo-
sophiæ quam plurima igitur illi debemus.

Th. IX. Idque tanto magis, cum summo studio
celeberrimos omnium sectarum philosophos le-
gerit, comparaverit, eorumque decreta expo-
suerit & demonstrationibus munierit.

Th. X. Quod etsi in omnibus fecit: ita tamen
in illis explicandis versatur, ut facile intel-
ligamus, quid ex illius sententia melius sit &
verius.

Th. XI. Id autem non ex una, sed ex omnibus
philosophicis scholis collegit, & ex unaqua-
que id accepit, quod verosimillimum erat.

Th. XII. Hac ratione tantam in quærendis &
proponendis aliorum opinionibus facultatem
assecurus est, ut nunquam eas consilio aut
imperitia debilitaret: eclecticæ autem philoso-
phandi ratione sectarum auctoritati veri stu-
dium præferret.

Th. XIII. Denique ab eo discimus, quomodo sine
vehementia alios refutare, aliorumque sine per-
tinacia refutationem audire possimus.

DISPUTATIO XXI.

(ex Respondentium ordine XXII.)

D. XIV. MART. MDCCXCV.

H A B E N D A.

Resp. NETTMANN, Opp. BEKHRS. SCHEELE I.

Bella terris magis noxia, quam utilia
esse.

- Th. I.* Sunt mala, quæ primo adpectu vix tantum incommodorum, quantum creditur, complecti videntur; quæ tamen, si ea bene perspicimus, magis noxia reperiuntur, quam utilia.
- Th. II.* Inter hæc mala etiam bella refero, quæ omni ratione terris, ubi pugnatur, periculossissima sunt.
- Th. III.* Nam, si eam terram contemp'amur, ubi bellum est, inuenimus, eam sæpissime devastari, multisque annis non posse restitui ad incolas alendos atque conservandos.
- Th. IV.* Ubi omnia sunt devastata, necesse est fames etiam exoriatu & incolæ sæpissime rebus maxime necessariis careant.
- Th. V.* Ex bonis alimentis corporis robur pendet, quod valebit, prout alimenta accipit, incolæ autem bello oppressi sæpissime & propter labores & propter alimenta, corpori haud consentanea, quibus non adsueverunt, in morbos atque lues incident.
- Th. VI.* In ea terra, qua pugnatur, etiam artes bonæque litteræ negliguntur, earumque studia impediuntur, cum cives & subsidia earum

amittant, & salutem vitæque modo prospicere cogantur.

Th. VII. Exercitibus confluentibus proeliisque commissis urbes pulcherrimæ obsessæ, expugnatae, sæpe solo æquantur & cum illis simul artes, litteræ, commercium atque negotia publica, quæ antea florebant, vel perturbantur, vel plane intereunt.

Th. VIII. Opes regum & populorum, bonis quibusvis institutis tam necessariæ, inter alias & externas nationes dissipantur, cives autem & incolæ, bello finito, sæpe urgentur & opprimuntur, ad istas pecunias, ex publico arario in bellum consumptas, restituendas.

Th. IX. Qui bello interfunt, vitæ plerumque vagæ, incertæ, luxuriosæ, libidinosæ adsuefiunt, inprimis, si data occasione ab aliis nationibus discunt, quæ pertinent ad animos effeminandos, quæque ipsis deinde in necessitatem degenerant.

Th. X. Tandem bella etiam hanc ob causam moribus noxia sunt, cum populi tam magno concursu hominum variorum corrumpantur, & ipsa exempla v. c. crudelitatis, inhumanitatis moribus periculosissima sint.

Th. XI. His ex paucis, quibus multa alia addere potuissem, satis apparere mihi videtur, bella & terris & hominibus magis esse noxia, quam utilia.

DISPUTATIO XXII.

(ex Respondentium ordine XX.)

D. XXVIII. MART. MDCCXCV.

HABENDA.

Resp. HOPPE. Opp. HEINEKE. SCHEELE II.

Sub quavis imperii forma civibus licet
esse felicibus.

Th. I. Ut parta tanto melius tuerentur, injurias-
que vel illatas propulsarent vel ab inferendis
sefe defenderent, omnia denique, quæcumque
ad salutem ipsorum & prosperitatem pertine-
rent, eo facilius procurarent, in societatem
civilem coierunt homines, urbes condide-
runt, civitates instituerunt, res publicas ordi-
narunt.

Th. II. Quod ubi factum est, ibi & jura certa
nascuntur, cum singuli in parte commodorum
sint & esse debeant, quæ omnibus inde abun-
dant; tum vero etiam certa officia, cum
omnibus illa commoda tuenda sint & defen-
denda, ut singuli percipere possint.

Th. III. Jura hæc & officia certis porro si com-
prehenduntur formulis, leges fiunt, quibus
ea, quæ omnium & singulorum commoda tan-
gunt, præcipiuntur.

Th. IV. Leges autem cum semet ipsæ defendere
suique observationem exigere haud valent:
certi quidam ex universis civibus homines con-
stituendi sunt, quibus cura legum credatur.
Inde igitur magistratus nati.

Th. V. Magistratus nihil est, nisi ea dignitate & potestate sit ornatus, qua legibus parere reverentiam earumque contemtores coercere possit.

Th. VI. Hujus autem potestatis alia apud alios forma reperta fuit. Fuerunt enim, qui uni, duobus, paucis, pluribus, alii etiam, qui suffragiis populi omnia relinquentes universo quodammodo populo conferrent; perpetuam alii, alii temporariam esse voluerunt; alii, auctis praesertim cum civitate amplificanda & perficienda negotiis, diversarum rerum curas separando, quibusvis legum partibus aut singulos homines aut collegia praefecerunt, easque omnes dignitates & potestates sexcentis modis dividerunt, conjunxerunt, coordinarunt, subordinarunt, temperarunt, exornarunt.

Th. VII. Hinc varia illa cum variis rebus nomina: Monarchia, eaque vel haereditaria, vel ab electione pendens; Oligarchia sive Aristocratia, eaque ipsa sive paucioribus sive pluribus, sive per electionem singulis, sive certis familiis concessa; Democratia, sive universi suffragiis populi, sive tribunorum actionibus & intercessionibus exercita; Civitates etiam ex hisce mixtae & compositae, diversissimoque omnino modo, quocumque ex genere sint, constitutae. Neque enim duo per omnem terrarum orbem populi sunt, in quibus una eademque plane forma, neque unus omnino populus, apud quem eadem omni tempore forma obtinuerit.

Th. VIII. Harum omnium formarum tamen unus finis est, idem consilium: ut certis legibus salutem populi stabiliant.

Th. IX. Nulla autem re differunt, nisi quod aliae alios legum curatores instituerunt,

Th. X. Jam vero melior legum cura, & quae inde speratur, salus populi non a numero, nomine, insignibus horum virorum pendet, sed ab ipsorum sapientia, virtute, innocentia, alacritate, humanitate, modestia, urbanitate.

Th. XI. Quae quidem virtutes siue in uno Rege sint & Imperatore, siue in duobus Consulibus aut Ephoris, siue in Senatu aliquo minus magisque numero, recte Civitatem illam beatam praedicabimus. Sin alia omnia in iisdem reperiemus, & Regni & Reipublicae cives miseri sunt. Rex enim iustae libertatis fautor, & populus tyrannus cogitari potest.

Th. XII. Recte igitur Poeta ille Anglicus, at idem haud peior sane Philosophus: De formis imperii, inquit, stulti disceptent licet; quaecumque optime administratur, ea denique optima est*).

Th. XIII. Quod quidem ex historia etiam probari quodammodo potest. Quicumque enim civitatem aliquam constituerunt, si tum, cum constituerent, quodcumque ex ipsorum sententia optimum erat, sanxerunt: qui vero ista deinde immutarunt, meliora etiam sibi reperisse visi sunt. Idque, quaecumque forma constituta, ita illi existimarunt.

Th. XIV. Deinde revera ex omni genere exempla populorum & felicium & infelicium habemus. Regna florentissima & miserrima; rerum publicarum, quas liberae siue democraticae vocant, conditionem laetissimam & tristissimam historia nobis ob oculos ponit.

*) For forms of government let fools contest;
Whate'er is best administer'd, is best.

Pope.

Th. XV. Falluntur igitur illi, qui, cum aliquid minus prospere succedit, aut cum calamitate aliqua premuntur, id in forma quærunt. Ita Romani, ut meliori conditione essent, pro regibus consules, pro consulibus decemviros, pro decemviris tribunos militum consulari potestate fecerunt, neque sane, cum in causa mali indaganda errarent, nominibus mutandis, quod voluerunt, consecuti sunt.

Th. XVI. Ubi igitur bonæ leges sunt, id est, sapientes, humanæ, hominibus temporibusque aptæ; ubi satis est magistratum, qui legibus observandis & reipublicæ administrandæ præ sint, quique & ipsi, sapientia & humanitate excellentes, rectum ordinem strenue custodiant, libertatem singulorum ament, omniaque omnino ad salutis publicæ normam exigant: ibi, non propter formam aut nomen, sed propter rei ipsius naturam & essentiam, felix est civitas.

Th. XVII. Si qua forma tamen reliquis præferenda videretur, ea sane melior habenda, quæ non solum bonis legibus faciendis semperque perficiendis esset aptior, sed custodibus legum etiam diligentius invigilaret, eosque officiis suis implendis ipsos fingeret, omniaque ita ordinaret, ut singulæ civitatis partes ex sese nexæ optime cohærent, communibusque omnium commodis inservirent: quæ nos quidem in Monarchia, bonis legibus circumscripta, optime omnia fieri posse recte nobis affirmare videmur.

INDEX
DISPUTATIONUM.

SEMESTRE ESTIVUM.

MDCCXCIV.

I. Heineke. Dörge. Spilleke. (Maj. 3.) Principum actiones cautius esse judicandas, quam privatorum.

II. Fahrenholz. Oppermann. (Jung.) (Maj. 12. I. 10.) Lingua vernacula maxime est excolenda.

III. Brockmeyer. Scheele I. Scheele II. (Maj. 17.) Medicinam popularem scriptis magis magisque divulgandam.

IV. Braunschweig. Heyer. Topp. (Maj. 24.) Dies solennes instituire, esse utilissimum.

V. Hoppe. Model. Delius. (Maj. 31.) Melius esse, virtutem præceptis, quam exemplis discere.

VI. Hecht. Heineke. Spilleke. (Jul. 12.) Romanos tam virtuti & prudentiæ, quam fortunæ suæ magnitudinem imperii sui debere.

VII. Ullrich. Jung. Model. (Jul. 14. per errorem I. 12. i. e. in Memoriam secularem Academia Halensis.) Academia Halensis laudes.

VIII. Nettmann. Fahrenholz. (Oppermann.) (Jul. 19.) Melius esse, in honoribus militaribus distribuendis non tam majorum, quam propriæ virtutis rationem haberi.

IX. Bekuhrs. Brockmeyer. Scheele I. (Jul. 30. I. 26.) Navigationem maxime profuisse litteris.

X. Spilleke. Braunschweig. (Scheele II.) (Aug. 2.) Fortunam adversam magnam esse causam nostræ perfectionis.

XI. Oppermann. Hoppe. (Heyer.) (Aug. 9.) Græcos Romanis in litteris anteferendos esse.

XII. Scheele I. Hecht. Topp. (Aug. 20. 1. 16.) Spem immortalitatis esse necessariam ad recte agendum.

XIII. Scheele II. Nettmann. Model. (Aug. 23.) Fridericum secundum maximum seculi sui fuisse regem.

XIV. Heyer. Ullrich. Delius. (Aug. 30.) Quanam causæ ruinam imperii Romani effecerint?

XV. Topp. Bekuhrs. Spilleke. (Sept. 6.) Urbes magnas esse perniciosissimas.

XVI. (ex Resp. ord. XII.) Jung. Heineke. Oppermann. (Sept. 13.) Nimiã Sapiëntiam, præcipue in iis, quæ ad religionem spectant, perperam ad causas turbarum Gallicarum referri.

XVII. Model. Fahrenholz. (Jung.) (Sept. 20.) Utrum Revolutio, quæ dicitur, Francogalliæ necessaria fuerit?

XVIII. Delius. Brockmeyer. Scheele I. (Sept. 24. i. e. pridie Natalitia Regis.) Borussiam ante omnes alias civitates felicem esse.

ERRATA.

In Erratis Sem. Æst. 1794. Disp. XI. Th. 4. pronotiones. lege notiones X. in titulo p. Scheele. II. 1. Scheele II. XVII. 4. contentio: contentio XVIII. II. Itteris: litteris

(Jul. 10.) Melius est, in honoribus militibus distribuendis non tam majorem, quam propriis vir-

tutis rationem habere. IX. Bekuhrs. Brockmeyer. Scheele I. (Jul. 10.)

30. I. 26.) Navigationem maxime profitibus literis. X. Spilleke. Brandelweiss. (Scheele II.)

(Aug. 2.) Fortunam advenisse magnum esse curam nostræ professionis. XI. Oppermann. Hoppa. (Heyer.) (Aug. 2.)

9.) Græcos Romanis in literis antelocandos esse.

- I. Heineke. Braunschweig. Scheele II. (Oct. II. i. e. Rochovii Natalitiis.) Germaniam juveni-
tulis instituendæ artibus reliquas Europæ nationes
antecellere.
- II. Fahrenholz. (Hoppe.) Heyer. (Oct. 18.) Germana omnium gentium est princeps.
- III. Brockmeyer. (Hecht.) Topp. (Oct. 25.) Sapientia inter omnes ordines jure divulgan-
da est.
- IV. Braunschweig. Nettmann. Delius. (Nov. 1.) Semper fore bella.
- V. (ex Resp. ord. VI.) Hecht. Bekuhrs. Spille-
ke. (Nov. 8.) Quanam causæ interitum regni
Perfici effecerunt?
- VI. (ex Resp. ord. V.) Hoppe. Heineke. Opper-
mann. (Nov. 15.) Theses quædam de Musica.
- VII. Nettmann. Fahrenholz. Scheele I. (Nov. 22.) An bonum sit, amico nimis cedere?
- VIII. Bekuhrs. Brockmeyer. Scheele I. (I. Scheele II.) (Nov. 29.) Homo naturæ bonus,
an malus dici possit?
- IX. Spilleke. Braunschweig. Heyer. (Dec. 6.) Vitam urbanam rusticæ maxime esse præferendam.
- X. Oppermann. Hoppe. Topp. (Dec. 13.) Linguam multum ad animum humanum excolendum
conferre.
- XI. Scheele I. Hecht. Delius. (Dec. 20.) Nimiam Sapientiam non perturbationes gentium
producere.
- XII. Scheele II. Nettmann. Spilleke. (Jan. 10.) Multum conferre itinera ad juvenem excolen-
dum.

XIII. Heyer. Bekuhrs. (Oppermann.) (Jan. 17.) Monachus nunc Germaniæ obest.

XIV. Topp. Heineke. (Scheele I.) (Jan. 24. i. e. Friderici II. olim Natalitiis.) Fridericum secundum fuisse patrem populi.

XV. Delius. (Fahrenheit.) Scheele II. (Jan. 31.) Francogallorum Revolutionem, quam nominamus, aliis populis utilissimam futuram.

XVI. Heineke. Brockmeyer. Heyer. (Febr. 9. 1. 7.) In eam barbariem, in quam Græci olim ac Romani, nos recidere non posse.

XVII. Fahrenheit. Braunschweig. Topp. (Febr. 14.) Corpora cœlestia extra terram quoque sunt habitata.

XVIII. Heineke. (I. Brockmeyer.) Hoppe. Delius. (Febr. 21.) Civitati bene instituta ordinum diversitas insit necesse est.

XIX. Heineke. (I. Braunschweig.) (Hecht.) Spilleke. (Febr. 28.) A disciplinis colendis linguarum studium haud alienum esse debet.

XX. (ex Resp. ord. XXI.) Hecht. (Nettmann.) Oppermann. (Mart. 7.) Ciceronem optime de Philosophia etiam esse meritum.

XXI. (ex Resp. ord. XXII.) Nettmann. Bekuhrs. Scheele I. (Mart. 14.) Bella terris magis noxia, quam utilia esse.

XXII. (ex Resp. ord. XX.) Hoppe. Heineke. Scheele II. (Mart. 28.) Sub quavis imperii forma civibus licet esse felicibus.

E R R A T A.

Disp. V. Th. 8. pro sunt lege sunt, VII. (in quibusd. exempl.) in titulo Fahrenheit: Fahrenheit. X. (in quibusd. exempl.) 5. ipsi; ipsi, XI. in titulo & Th. I. sapientiam: Sapientiam 4. coerbit: coerebit XVII. 6. planetis: Planetis, 7. sole: Sole

Yh 2476


1018

ULB Halle


3

007 543 492





rg
ner
er t
Ma
r.
Che
a n
oru
ch
ru
e ar
ch
co
dam
er
que
nib
ma
tori
gior
n t
ing
.
ye
cati
e.
hr
nira
nve
Th.
8.
lo
X.
is
ta.
atu
Ch.



Farbkarte #13

B.I.G.



DISPUTATIONES

IN

CLASSE PRIMA

STEPHANEI

AB APRILI MDCCXCIV AD APRIL. MDCCXCV

HABITÆ.

COLLECTIO TERTIA.

HALBERSTADII
TYPIS DÖLLIANIS MDCCXCIV.